This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

61
Av-4
R

COLLECTA

NEORVM DE RE MEDICA

Auerrhoi philosophi, post Aristotelem atq; Galenum facilè doctissimi,

Sectiones tres.

I. De Sanitatis functionibus, ex Aristot. & Galeno.
II. De Sanitate tuenda, ex Galeno.
III. De curandis morbis.

A Ioanne Bruyerino Campegio, prudentißimi, literatißimiq; Cardinalis Turnonij medico, nunc primùm Latinitate donata.

4 61 Av 4

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
1537.

IOANNIS BRVYERINI CAMPEGII IN SECTIONES DVAS COLLECTANEORUM DE RE MEDICA AUERRHOI PRÆFATIO, AD ILLUSTRISSIMI POTENTISSIMIQ; PRINCIPIS LOTHARINGORUM MEDICUM IOANNEM GALFREDUM DOCTISSIMUM: ATQUE HIERONYMUM MONTUUM ALLOBROGUM MEDICORUM PRÆSTANTISSIMUM.

NON deerũt, scio, uiri clarissimi, apud quos nostra hæc Collectaneorum rei medicæ Auerrhoi interpretatio calumniã pro gratia habitura sit. Quippe plerique omnes iuniores medici iam intolerabile in Arabum Mauritanorumq; dogmata odium conceperunt, ut ne nominandi, citandi ue locus relinquatur: principes etenim Hippocratem, atq; Galenum habere nos prædicãt, quos in primis sectari, summaq; ueneratione, simul ac diligentia obseruare debeamus, qui uniuersa, quæ ad medicinam pertinent, tam doctè, tam copiosè, tamq; accuratè posteritati tradiderunt, ut à cæteris nihil addi possit, quod rem medicam adiuuet. Quæ opinio, ut nobis omnino haudquaquàm probatur, ita non usquequaque improbabitur. Sanè summus fuit Hippocrates, summus denique Galenus, uerùm numeris omnibus minime absoluti, quod de Hippocrate identidem ingenuè fatetur Galenus: atq; etiam de Galeno, tum Græci, tum Latini, tum Mauritani, inter quos primas sibi uendicat Auerrhous, qui multis in locis omni studio conatur conciliare Aristotelem Galeno: interdum uerò ab ipso notatur Galenus, quod quàm rectè, uiderint docti. Ego quidem in ea sum hæresi, Arabum pariter ac Maurorum de medicina commentarios, prorsus haud esse negligẽdos, maiorum nostrorum uestigijs insistens, qui etsi eloquentiæ uiribus

ribus minus ualerent, ingenij tamen ſubtilitate, ſcientia-
rumq; omni genere minime deſtituebantur: quod me ali-
quando docuit noſter ille Dionyſius Coroneus, triplici lin-
gua ornatiſsimus, Latina, Græca, atq; Hebræa, mihiq; olim
in literis Græcis præceptor, quippe inter euoluẽdum Gen-
tilis in Auicennam monumenta, deprehendit illum multa
aſſequutum iudicij acrimonia, quæ oportuit ab eo, qui lin-
guam Arabũ, Hebræorumq; calleret, explicari. Vbi etenim
locus occurrebat, in quo uariæ eſſent controuerſię, codicem
Auicennæ Hebræum (quem ſecum Roma aduexerat, po-
ſtremo Clementis ſeptimi Pontificis anno) ſtatim conſule-
bat, illicq; perſpiciebat Fulginatem, illarum linguarum om-
nino expertem, codici Hebræo planè aſſentiri. Quamobrem
apud me plus ſanè ualebit ueritatis amor, quàm timor ca-
lumniæ, quam uel doctiſsimi, ſapientiſsimiq; defugere uix
potuerunt. Sic uaria ſunt hominum ſuffragia, multis nanq;
recondita doctrina, impolita, inculta q; placet: aliis eloquen-
tia ſola arridet: nonnulli linguarum peritia, ſcientiarum ta-
men cognitione deſtituti, commendantur: quod prudentiſ-
ſime Eraſmus uno libello declarauit. Ab Hippocrate, Ga-
leno, atque aliis medicis Græcis nemo ſanę mentis negabit
optimum medendi exemplar peti: nec inficiabimur è Græ-
cia medicinam profectam, & eam elegantiſsimam, atque in-
corruptiſsimam: non tamen ab his ſolis pendebo, in ipſo-
rumq; uerba tam ſanctè iurabo, ut non interdum meliori-
bus, cumulatioribusq; remedijs inuẽtis, ab ijs diſcedam, ad-
mittamq; ſi quid recẽtiores uel inſigniter barbari, incultiq;,
porrexerint melius. Nempe exempli gratia, ſi uariolis mor-
bilisq; adhibenda ſit curatio (Græci ἐξανθήματα uocant) quę
exigua ab antiquis prodita reperitur, num ex Auicenna,
Auerrhoo, cæterisq; id genus mutuo ſumere uerebor? At-
qui Galenus uir elegantia ſtyli incomparabili ex Scribonio
Largo, & alio quodam Lugdunenſi medico, quædam de-
cerpſit, minime ueritus ne incultior fieret oratio: Plato item
eloquentiſsimus ab Hebræis, Aegyptijsq; non pauciſsima,

rariſsi

rariſsimaq́ dídicit: Quinetiam Ariſtoteles ille eloquentiæ princeps à Iudęo quodam uiro egregia multa hauſit, Clearcho Peripatetico teſtante: Theophraſtus inſuper (ſcribente Euſebio) ex Hebręorum libris non pauca laudauit, deſumpſitq́; id tamen non obſtitit, quò minus elegantiſsime placita ſua poſteritati mandarent. Nam quid opus eſt commemorare aliorum philoſophorum, & uirorum literatorum penè infinitorum peregrinationes ſuſceptas? qui tamẽ uniuerſi ſtylo elegantiſsimo, excultiſsimoq́ commẽtarios conſcripſerunt, nullamq́ barbariem, ex barbarorum conſuetudine imbiberunt: quin potius ſeſe politiores, uenuſtioresq́ effecerunt. Faceſſant igitur, qui hoc noſtrum qualecunque negocium uitio nobis uertere uolunt. Atq́ haud ſecus, ac Carneades, qui ſcripturus aduerſus Stoicos prius ueratro ſuperiora expurgarit, faciant, dum Auerrhoi nouam interpretationem legere aggredientur: ſic enim cõtinget res, ut qui in ipſis continẽtur uitioſiſsimi ſucci, uacuati, depulſiq́, nulla abſurda, nulla tumultuoſa, nulla denique diſtorta uiſa ipſis pariant. Verum enimuero Criticorum huiuſmodi calculos, cenſuras ue nihil moror: Vna mihi ſatis erit, uiri nunquàm ſatis laudati, ueſtra ſentẽtia, unum ueſtrum iudicium pro lapide Heraclio. Cur uerò cõuertendi in Latinum collectanea de re medica Auerrhoi prouinciam ſuſceperim, in cauſſa fuit ocium, quo, ab aulæ Gallicæ tumultibus liberi, aliquot iam mẽſes fruimur Lugduni Mecœnate noſtro clariſsimo, prudentiſsimoq́ Cardinali Turnonio, Regis Chriſtinianiſsimi uices gerente. Conſideranti nanq́ mihi Galeni principis noſtri uniuerſa penè opera Latinitate donata, ſimul ac Grecorũ aliorũ poſteriorum, diligẽtia uirorum doctorum, uenit in mentem, me quoque poſſe medicinam adiuuare, ſi hanc, quam aggredior materiam, aliįs uel intentatam, uel corruptiſsimè deprauatam, quàm poſſem diligentiſsimè tractarem. Laboraui equidem hac in re uehementer, quoniã codices, quos typis excuſos habemus, deprauatiſsimi eſſent, unde aut nihil, aut parum adiumenti ab įjs capere

potuimus: uerum ab hinc mẽſes aliquot inciderat in manus noſtras Codex uetuſtiſsimus, qui tres quatuor ue ſectiones horum Collectaneorum complectebatur, quiq́ referebat eam tempeſtatem, qua in Gallias immigrarunt Arabũ, atq́ Mauritanorum, tum philoſophia, tum medicina. Porrò mei officij eſſe puto, eadem opera docere, quo modo harum gentium barbararum doctrina ad nos deuolarit. Poſtquàm itaq́ Athenarum Florentiſsimum ſtudium corruit, Romanumq́ imperium Gotthica barbaries inuaſit, migrarunt ad Arabas, Mauritanosq́, adde & Hiſpanos (qui ſub Arabum iugo uincti tenebantur, atq́ eorum lingua, ac legibus utebantur) Græci aliquot tum philoſophorum, tum medicorum libri, potiſsimumq́ Ariſtotelis, ſimul ac Galeni, (quin etiam Platonem legiſſe uidetur Auicenna) quo factum eſt, ut complura utriuſq́ uolumina è Græco in ſuam linguam conuerterint: conſtat nanq́ eam gentem bonarum ſcientiarum fuiſſe ſtudioſiſsimam: quamobrẽ Auerrhous, Alpharabius, Auicenna, aliiq́ innumeri eodem ſeculo, iis philoſophati ſunt libris, quos ſolos ueritati indagandæ ſufficere arbitrati ſunt: in hoc q́ negocium toti incumbentes, uimq́ omnem ingenij effundentes, utriuſq́ interpretationes, atq́ expoſitiones ſuſceperunt. Cùm uerò in Hiſpania imperaret Alphonſus literarum, & maxime mathematicarum, ſitientiſsimus, Mauris adhuc Bethicam obtinentibus, facilè fuit ut partim ob uiciniam, partim ob frequens populorum commercium comportarentur in Hiſpaniam citeriorem Auerrhoi aliorumq́ Maurorum lingua conſcripti libri, ubi ab Hiſpano quopiam Latinitate utcũq́ donati ſint: aut florentibus iam in Lutecia Pariſiorum philoſophiæ medicinæq́ ſtudijs, ex Hiſpania in Gallias deportati, illic transferri potuerunt: quemadmodum imperium tenente Carolo Magno, Ioannes Scotus monachus Dionyſij opera conuerterat in Latinum. Præterea Hæbrei horum placitorum ex ortes minime eſſe uoluerunt, quorum primus (quantum intelligo) Moſes Aegyptius acerrimus Ariſtotelis ſectator,

tor, & Auerrhoi ſeculo philoſophatus, negocium tale eſt aggreſſus: quem poſtea alij imitati, multa in lucem emiſerũt in omni doctrinæ genere monumenta. Sanè quantum autoritatis ſemper habuerit apud antiquos recentioresq; Græcos Ariſtoteles, tam clarum, ut explicatione haudquaquam indigeat. Apud Latinos uerò paucos reperias, qui tam ardenter illum ſint ſectati, niſi ſi poſtquàm ex Italia terra, in Gallias noſtras philoſophi quidam cõuolarunt, magna cum laude pariter & frequenti auditorio commẽtaria Auerrhoi in Ariſtotelis uolumina interpretãtes: inde factum eſſe nemo ſanæ mentis dubitabit, ut uel parum fida incultaq; tralatio magnum æſtimationis incrementum, tum in Hiſpania, tum in Gallia, tum in Italia traxerit. Cũ uerò noſtra memoria philoſophia omnis Iacobo Fabro Stapulẽſi duce cœpiſſet primùm caput attolere, atque politior, Latinior, elegantiorq; legi, medicina quoque Leoniceni auſpicijs libertatis ſpem non exiguam cœpit. Ab his elaborarunt in hac re, & id feliciſsimè, aliquot clariſsimi uiri, non eloquentia tantum freti, uerumetiã ſcientia omnigena refertiſsimi. Deinde alij bonæ quidem indolis iuuenes, ac ſpei: ſed doctrina (cuius libros interpretandos ſuſceperant) penè deſtituti. Horum ego errores perſpiciens, diu equidem dubitaui num prælis committerem tres ſectiones collectaneorum Auerrhoi, quæ de ſanitate tractarent, uidebam, quàm difficile eſſet calumniam uitare. Sed tandem uicit, impulitq; ardens ueritatis indagatio quã anteponendã rebus omnibus identidẽ prędicare ſoleo: uicit item Hieronymi Montui philoſophorum ſimul ac medicorum ſuæ ætatis facile principis, adhortatio: quare in hunc maxima culpæ atque calumniæ pars (ſi modò ſit) reijcienda erit: frequentiſsimè etenim ingenueq; confeſſus eſt, ſe plus per Auerrhoi noſtri lectionem profeciſſe (alioqui Galeni operum maximus helluo) quàm per ullum alium poſteriorum Græcorum. Cuius ſententiæ audacter ſubſcribere poterit is, qui in omnium commentarijs diligentiſsimè ſit uerſatus. Quippe liquidò perſpiciet, non

eo ani

eo animo ſcripſiſſe Auerrhoum, ut Galenum (cui tantum ſit addictus, quemq; tam egregiè laudet) taxaret, calumniaretur q; : uerùm id omni ſtudio, modisq; omnibus ſatagere, ut Ariſtotelem) cui etiam ſummopere fauebat) ſi fieri poſſet, ab erroris inſignis nota liberaret, hũcq; cum illo conciliaret. Nam quod ad cõtrouerſiam, de principe animæ ſede, ac domicilio pertinet, quæ ſanè cum inter philoſophos, tum inter medicos acerrima eſt: aliis, ut Democritus, Hippocrates, Plato, in cerebro collocantibus: aliis, in quorum numero Eraſiſtratus, circa cerebri uentriculum, quod uocat ἐπικρανίδα: aliis in cerebri concauo, quæ & baſis eſt, inter quos Herophilus: quidam uerò, ut Strato, in frontis parte interiori poſuit: Parmenides atque Epicurus in toto pectore ſitam putauere: Diogeni placuit eam eſſe in arteria cordis concaua: Stoici in corde, uel ſpiritu, qui circa cor eſt: Ariſtoteles uerò philoſophorum maximus, in corde habitare cenſuit: à quo ſi diſſentiat Galenus, medicorum omnium facile primus, non mirum uideri debet. Non mirum denique, ſi ab hoc Alexander Aphrodiſeus diſcrepet, qui eadem tempeſtate floruit, qua Galenus, in libro ſuo enarrationis de anima pro cordis principatu multa diſcutiens, uel ad animantium diſſectionẽ prouocans, ut oculata fide facilius quiſpiã ſuum à uero non eſſe alienũ iudicium. dignoſcat. Quod animaduertens Auerrhous, poſt Ariſtotelem ſummus philoſophus, atq; poſt Galenum medicus ſummus, tantamq; controuerſiam dirimere cupiens, totq; ſeculis agitatam, partem huic, partem illi concedens, & ita diſſidium componens, ut ab alterutro non ſtaret, & ſecundum alterum litem non daret: functionum uidelicet principia cordi attribuens: fines uerò cerebro dilargitus. Hoc teſtatiſsimum cuiuis poteſt facere, quàm difficile illi fuerit ab altero diſcedere, quæ fuit in utrunq; ardẽtiſsima eius uoluntas. Afferrem hoc loco mille alias controuerſias, inter philoſophos ſimul, ac medicos coortas, ut eſt de ſomno, ac uigilia, de ſenſu: denic; de ſemine, ex quibus fiat, quid nam ſit, à quonam depromatur, itemq;

num

num ab uno tantum mare, an etiam à fœmina: quæ ſanè lis duobus, & eo amplius, annorum millibus, ſub doctiſsimis, eloquentiſsimis, grauiſsimisq; cenſoribus uerſata, hactenus ſine fine perſeuerat. Non deſunt, qui fœminã quoq; proijcere ſentiant: è quibus Pythagoras, Democritus, Epicurus: Ariſtotelis uerò diuerſa fuerunt placita, quãquàm Firmianus uelit eundem idem ſenſiſſe. Poſterior autem Galenus Ariſtotelem reliquit, atq; ueteribus ſubſcripſit: quem poſteà Auerrhous non omnino ſequi uidetur, uerùm potius Ariſtoteli adhærere. Quamobrem omnis quoque poſteriorum ſchola ſuper hac re decertauit, & adhuc ſub iudice lis eſt. Cùm igitur medicinæ candidati à lectione horum collectaneorum, ob tam incultum, tamq; horridum ſermonem abhorrerent, unde Auerrhoi ingenium eruditionemq; intelligere minime poterant, officiũ meũ eſſe putaui, ut ſi quid uirium in nobis eſſet, quibus efficere, ac præſtare hæc meliora ualerem, hunc materiæ campum ingrederer, & pro dignitate excultiorem faceremus: in quo gloriari non uerebimur, nos primos eſſe, qui huiuſcemodi barbarorũ interpretationem ſuſceperimus: quæ (ut ſperamus) ad eloquendũ aptior, & ad medicandum commodior utiliorq; iudicabitur: modò lector mẽtem ſanam habeat, in corpore ſano. Sed illud repetendum, me multum laboris inſumpſiſſe, multumq; uigiliarum collocaſſe in his conuertendis, & inſtaurandis: cum à nullo, præterquàm à codicis mei uetuſtate, quæ fidelius ſcripturam reddidit, quàm formis excuſi libri, iuuarer: Legendus mihi profecto fuit tum Galenus totus, tum Ariſtotelis opera euoluenda, & notanda: quæ quàm ſit negocioſum, operoſumq; uel ſemel diligenter legiſſe, nedum ad transferendum accõmodaſſe, lector eruditus facillime peruidebit. Etenim nemo, niſi is qui & naturalis philoſophiæ, & medicinæ ſit peritiſsimus, tale quid audebit. Nullus denique qui Latinæ ſimul, ac Græcæ linguæ expers fuerit: quòd ſi Hebręam adiunxiſſet ad unguem factus interpres, ſummopere commendaretur. Sequi uerò ordinem uidetur, quem Ariſtoteles

ſtoteles in libris ſuis de Hiſtoria animaliũ uſurpauit: cauſſas nanq; materialem primo tradidit: ab hac finalem, ac formam (quas eſſe eaſdem propè opinantur) poſtremò eam quæ efficientis nomẽ præcipuè obtinet, ut quod ſuperioribus collectũ eſſet: inde diſputatione rationibus uallata ſtabilitaq; in uſum ueniret. Cogitanti autẽ mihi, quos huius mei laboris defenſores pararẽ: & eos q̃ poſſem doctiſsimos potentiſsimosq;: ſoli occurriſtis, uiri literatiſsimi, digni, quorum felicibus auſpicijs prima ingenij noſtri fœtura in lucem prodire intrepidè debeat. Ad hæc uobis dicandam qualencunq; noſtram opellam optimum eſſe duxi, ut officio aliquo, & perſpicuis beneuolentiæ ſignis, egregia illa ueſtra erga me uoluntas, ueſterq; amor ardentiſsimus roboraretur. Quod (ita me deus amet) præſtare alio pacto haud poteram, quàm re, qua uos munerari, potiſsimũ, expetere exploratum haberem: uobis itaq; literarum ſitientiſsimis atq; ſciẽtiſsimis, aliquid de meorũ ſtudiorum officina depromo, quod ſi aptũ ac iucundum eſſe contigerit, propediem alia, è multis quæ habeo, in lucem emittam. Valete igitur, & candidè noſtras uigilias in nominatiſsimũ Auerrhoum interpretamini. Lugduni ex ædibus ueſtri Symphoriani Campegij libertatis medicæ aſſertoris,

M. D. XXXVII.

Idibus Ianuarij.

AVERRHOI
PHILOSOPHI AC MEDICI GRAVISSIMI COLLECTANEORVM SECTIO PRIMA.

UNIVERSIDAD GEN... BIBLIOTECA

De sanitatis definitione, temperamentis, atque partium uniuersarum corporis structura. CAP. I.

SANITAS est commoda partium corporis humani affectio, constitutioq́ꝫ, cuius ope functiones secundum naturam edimus, & patimur idipsum, quod natura pati comparatum est. Hæc autem definitio est ex his quæ per se notæ sunt. Cùm itaq́ꝫ partium, quantum sensu deprehenditur, duplex sit compositio: similarium uidelicet, ac dissimilarium: primum in unaquaque harum quid ipsa sit considerandum: Deinde in differentias secabimus: Postremò actiones atq́ꝫ passiones singulis attributas perdiscere oportet: quod cùm effecerimus, quid sit sanitas uerè, atq́ꝫ absolutè tenebimus. Sumpto igitur ab incompositis similaribus ue partibus initio, asserimus, methodũ qua exploramus id, quo cum actiones, passionesq́ꝫ suas hæ perficiunt, certissima nobis, ac firmissima medicinæ fundamenta adferre posse. Est nanque naturalis philosophię interpretibus doctè abundeq́ꝫ dictum, Similaria, quatenus similaria, ex quatuor elementis constare: terram dico, aquam, aërem, & ignem. Quinetiam libro de generatione & corruptione ostensum est, generationem à moderantia mixturæ ac temperamenti proficisci: commistionem uerò temperaturamq́ꝫ modo elixationis confici: & hãc ipsam à calore tantùm, libro Meteorologicorum quarto explicatum. Ad hæc differentiarum uarietatem, quæ similaribus adest, à quatuor qualitatum, calidæ uidelicet, ac frigidę,

humentis,ac ſiccæ differentia modo,menſura'ue haudqua-quam contingere:quandoquidem ipſarum alia eſt tempera-tura.Prætereà eodem commentario proditum eſt, ſimilariũ formas eaſdem eſſe cum temperamenti formis,quas conſe-quuntur accidentia,quæ in ſingulis harum differentijs ſpe-ctantur.Hæc quidem,utpote maximè neceſſaria,& ab indi-cationibus naturalis philoſophiæ doctis atque ordine opti-mo diſpoſitis orta,præceſsiſſe oportuit:qua in re medico-rum non pauci grauiter aberrant,qui de hac ſcientia ſcribe-re quippiam aggreſsi,ſermones abſurdo, nulloq; ordine di-geſtos,reliquerunt:cuiuſmodi eſt uidelicet,quòd uniuerſa-lia particularibus aſsignant entibus: quo fit ut longiſsimè abſint ab his,quæ probare,& explanare nituntur, demon-ſtrationibus.In quorum album Galenus quoque referen-dus erit,qui in commentarijs de temperamentis indicatio-num methodũ aliam ab ea,quam in libris de elemẽtis uſur-parit:quare uel apud illum, qui dialectica à limine tantum ſalutauerit,huius dicta minimi erũt ponderis. Verùm unde noſtra defluxit oratio reuertamur, atque eo ordine, quo cœptum eſt,prouehamur.Si igitur quæ nuper à nobis aſſer-ta ſunt probè intellexeris: hoc eſt,id,cuius ope ſimilaria & agere & pati,quod ſecundum naturam debent,dicuntur,ni-hil aliud te aſſequutum putes,quàm temperaturæ formam, quæ à quatuor elementorum moderata menſura,atq; com-miſtione procedit. Porrò miſtilia in mixto bifariam tem-perata conſideramus:Primò,ubi menſuræ pares adſunt,uo-caturq; illa miſtio æqualis, collatione extremorum, inter quæ media eſt.Secundò ac poſtremò,quando menſuræ im-pares:Atque huiuſmodi inæqualitas ſanè uaria eſt,ſecundũ quam ſpecierum quoque temperamenta uaria efficiuntur. Exempli gratia:Equi temperatura,longè alia eſt ab ea quæ homini contigit:quippe elementorum moles in ipſo aliter ſe habet,quàm in homine. Forma igitur illa temperaturæ, quæ unicuiq; ſpeciei propria eſt,in ipſa eademq; ſpecie:tum æqualitate,tum intemperantia,media,ſecundum multitudi-

nem,

nem,atq; paucitatem reperitur: Habetq; latitudinem quæ maius minusq; inter extrema admittat. Hæc uerò temperies atque æqualitas ipſis non deperit,niſiſi forma earum (ut ita dixerim) ſpecifica intereat. Neceſſariò itaq; unum, idemq; temperamentum ſpeciei par atque impar producitur:idq; in una, duabus ue quatuor qualitatum, quarum mutua coniugatio fieri poſsit,factiuarum ſcilicet ac paſsiuarum,quæq; ſibi inuicem non repugnent,cuiuſmodi calida & humida,frigida ac ſicca,calida & ſicca,frigida & humida. Quamobrem ſimilarium partium nouem eſſe temperamenta neceſſariò fatebimur, uidelicet calidum, humidum, frigidum,& ſiccum:atq; ex his mutuæ coniugationes quatuor,& temperatum. Quæret uerò quiſpiam, Vtrum iſtæ omnes temperaturæ ita extremè in homine exuperent, quemadmodum in elementis qualitatum modus ac menſura? Cui ſanè reſpondebimus, id minime poſſe contingere, niſi etiam ſubijciatur corpus ſimilare,in quo par elementorum commixtorum moles ſpectetur. Quod neq; in quantitate partium ipſarum grauitate ſcilicet,ac leuitate fieri poteſt. Elementa uerò quæ in ſimilaribus præpollent,ſunt, aqua & terra:unde concretionem ſoliditatemq; nanciſcuntur: Quinetiam eædem qualitates coctionem, concoctionemq; conficiunt. Quare corporum quæ gignuntur,quoddam attributum eſt partis exuperantiæ quæ agit,& calida eſt,atque patientis quæ humida: quibus tum commixtio, tum coctio perficitur. Cæterum libro Meteorologicorum quarto,quæ nunc dicuntur,copioſe explicata ſunt:ubi quoque indicationum ſcopis conſimilibus,quinq; tantum temperaturas conſtitui debere probauimus:æqualem unam,impares uerò quatuor. Ad hæc,haudquaquam ſpectari poſſe duo corpora in caliditate paria,quorum alterum altero ficcius euadat. Qua in re hallucinatur Galenus,de calore pueri,ac iuuenis diſſerẽs:ſicuti à nobis aliàs diligẽtiſsime oſtenſum eſt. Summatim uerò te memoria tenere maximè uelim, duarum actiuarum qualitatum menſuras à duabus paſsiuis

deſumi:quippè formæ propriæ materias ſubditas ac ſubiectas continent.Sed de his fortè plus iuſto:cauẽdum etenim nobis ſummopere,ne à publica medicorum ſchola abeamus:quamuis error qui inde emergeret in medicina exiguus foret,quemadmodum & is, qui de natura temperata nuper dictus.Porrò Galeni de cute uolæ manus ſententiam ueram eſſe ingenuè fatemur:præterea id, cuius auxilio & agunt & patiuntur ſimilares partes, erit neceſſario unum nuper ſcriptorum temperamẽtorum.Quare te noſſe oportet,& exploratam habere eam temperaturam, quæ ſecundum naturam eſt horum omnium temperamentorum particulæ cuiuslibet: quæ quidem actioni paſsioníue partis collata,temperata indicabitur:& eſt quæ ſpecifica (ut quis dixerit) ſpeciei temperatura uocitatur,quamq; ab arte medica tueri inſtauraríq; conuenit. Cæterum poſtquàm incompoſitarum ſimilíumue partium temperaturas accuratius tradiderimus: ad compoſitas ex ipſis diſsimilares,inſtrumentariasq; appellatas,ueniemus. Quarum quoddam eſt temperamentum quatenus ſunt officiales;quoddam uerò quatenus ex ſimílaribus conſtitutæ. Quinetiam his expoſitis,de natura temperata: ac ſtructura moderata totius corporis diſſeremus,quam ſanè quidem minime aſsignaremus,niſi ſi in inſtrumentaríjs inueniretur: ex quibus & ſimílaribus compoſitũ conflatur. Porrò ignorare haudquaquàm debes partium alias ex elementis primaria ſtructura conſtare:alias autem compoſitas ſtatui ex prima illa conſtitutione:cuiuſmodi ſunt ſimplices ſimilaresq; particulæ,quę ab ipſo gignuntur ſanguine.Hic uerò ab alimentis, potionibusq;. At qui ſemen genitale membrorum nullam eſſe partem uel ſimplicem,aliquíd'ue aliud partis philoſophiæ naturalis commentaríj ſatis ſuperq; te docuerunt:& nos, ubi de partium uſu tractabimus,copioſe,ac diligenter ſuper hoc ſcribemus.Præterea neq; flaua bilis,neq; atra,neq; etiã pituita, elementa ſtatuuntur partium ſimilarium, eo ipſo modo quo ſanguis:quod ideo contingit, quoniam ea quæ

gignun

gignuntur,haudquaquam dicuntur perfecta, abſoluta´ue, niſi ſi mutua ipſorum ſit mixtura: tunc nanque exoritur corpus unum: quod uidere eſt in oximellite, temperato uidelicet aqua,melle,acetoq́,quæ ſingula per ſe actu ſpectabantur. Ad hęc in utero neutram bilem flauã atram´ue actu commiſceri ſanguini cernimus. Atqui in hominis corpore ad uſus nonnullos nihilominus conſiderantur,qui mox nobis oſtendentur. Pituita quidem hinc longè abeſt, quandoquidem ex ea partes miníme conſtituuntur cõficiuntur´ue priuſquàm in ſanguinem tranſeat,ac commutetur: utraque uerò bilis longiſsimè hinc remota: quippe nullius materiæ locum obtinet in particulis,quoniam in ſanguinem uerti ac mutari nuſquam poſſunt: uerùm ipſas poteſtate in eo eſſe haud dubium eſt: dum nanq; putreſcit in utranq; commutatur. Hæc autem conſequentia quibuſdam erroris anſam præbuit,qui elementa in eo quod ex ipſis conflatur,conſtatq́,poteſtate ineſſe perſpiciebant. Etenim protinus id uerum non erit,ſi quippiam aliqua in re poteſtate ſpectetur, eius quoque fore elementum. Sanguis quidem in aliud per accidens materia eſt mutationi obnoxia,uerum non eo ipſo pacto,quo alimentum ipſis eſſe dicitur: ſed eo,quo uita materia interitus mortisq́ nominatur: Quamobrem fecem atque ſpumam uini,elemẽta huius nemo dixerit: quippe non niſi ab his purgatum planè ac defecatum, perfectum,abſolutumq́ appellabitur: quod dum coquitur,ac conficitur,excrementa iſta producit, atque ſecernit: eoq́ modo bilem utranque ſanguini adeſſe aſſerimus. Nanque eorum quæ fiunt,ac gignũtur,unumquodq́ excrementa continet,quæ dum coquuntur,perficiunturq́,abíjci ſecerníq́ oporteat.

De *partium ſimilarium temperamentis.*

CAP. II.

HIs itaque expoſitis,ad nobis propoſitum ordinem recurremus: atque ſingularum particularum ſimilarium temperamenta docebimus: quibus earum functiones, affectio

affectionesq́;,& paſsiones nobis clarè innoteſcent. Oſsium itaq́; eſſentia frigidam ac ſiccam ipſorum temperaturam indicat: quod & de pilis, cartilagine, tendonibus, neruis, ſyndeſmis, id eſt ligamẽtis, uenis, membranisq́; cenſendum eſt: utpote à calore cocta, atque à frigore concreta: atque eadem à caliditate emolliuntur diſsipanturq́;: Harum uero altera qualitas in uno magis quàm altero prępollet: pilus quidem omnium ſicciſsimus, ab illo oſſa, deinde cartilago, poſt quam ligamenta, à quibus membranæ, exinde uenæ, poſt has arteriæ, poſtremò nerui, atque muſculi. Frigiditatis quoq́; uictoriam pili primum indicant, frigidiſsimi nanq́; omnium: ab illis oſſa, deinde cartilago, poſt hanc ſyndeſmi, exinde membranæ, à quibus muſculi, poſtremò uaſa, uenæ ſcilicet & arteriæ. Cæterum frigida ſiccaq́; ſic nominantur, non quòd penitus caloris ſint expertia, uerùm quoniam à frigore perficiuntur, in ipſisq́; exuperet. Quo itidem modo ſicca uocitantur, non quòd omnimoda uacent humiditate: (abſurdum id enim foret: quippe concoctio miſtioq́; in ipſo humido conſiſtunt) at quoniam ſiccitas ipſa perficit uincitq́; in ipſis. Calor uerò, qui his adeſt, per accidentis differentias collocatur. Partes item quæ humiditate caloreq́; ſunt prædítæ, caro, ſanguis, ac ſpiritus: quorum caliditſsimum ſpiritum aſſerimus: deinde ſanguinem: poſtremò carnem ipſam, qua ratione humida quoque nominabuntur. Nempe ſpiritus eſt generis aërei atq́; eſſentiæ: aërem autem aqua humidiorem in commentarijs de philoſophia naturali conſcripſimus. Quinetiam frigidarum humidarumq́; partiũ adeps primas obtinet: poſt quam cerebri medulla. Hic locus ocium abundantiſsimum poſtularet, ut de ijs copioſiſsimè accuratiſsimeq́; traderemus: uerum aliàs nobis affatim proditum eſt. Præterea id te latere non oportet, quod nuper dicebamus: gradus uidelicet functionum factiuarum in uno eodemq́; temperamẽto neceſſario ſpectari ſecundum actionum patientium collationem: quæ omnia à philoſophis, qui naturæ ſunt interpretes, perdiſcenda ſunt.

De inſtru

De *inſtrumentariarum, diſsimilarium'ue partium temperamento.* CAP. III.

IAm uerò ad diſsimilarium temperationes tempeſtiuè ueniemus: & in primis de corde ſequetur tractatio. Id uiſcus ex membranis, ligamentis, neruiſq; compoſitum eſt, calidumq;, tum ob multi ſpiritus copiam in eo contentam, tum ob ſanguinem, tum etiã ob eius carnoſas parteis. Eſtq; in animantis corpore inſtar foci luculenti, ac camini: an uerò ſiccum (ut cenſent medici) an humidum, an temperatum, diligenter examinandum uobis relinquo: at mea ſententia ad humiditatem inclinare, ob ſpiritum, qui in ipſo habetur, dicere non erit alienum. Iecur, utpote ſummè carnoſum, ac ſanguineum, & ob arterias, quæ nõ paucæ ad ipſum pertingunt, caliditate, humiditateq; præditum. Cerebrum omnino frigore pollet, quia partium eius maior moles ac portio ex eſſentia medulloſa ac neruoſa conſtat. Medulla uerò eius haudquaquam eiuſdem generis eſt cum ea, quæ in oſsibus continetur: quippe nihil in eo quod ſit pingue, ſeuoſum, oleoſum'ue cernitur: ſed id commune eſſe aquæ terræq; conſtat ex eo, quod ei accidit. Cùm enim coquitur indureſcit, atque ſicceſsit, ut humore depopulato, exactoq; à calore, terrena portio relinquatur. At quæ de hoc uiſcere docuimus, eadem nos de ſpinæ dorſi medulla dixiſſe putato: ſunt etenim eiuſdem & generis, & naturæ. Porrò lienis ac renum temperatura calore humoreq; conſtat, ea tamen lege, ut renes ſplene uno abſceſſu ſint inferiores, propter ſanguinis huius uiſceris craſsitudinem: quo etiam ordine lien ab iocinore ſuperatur.

De *natura temperata.* CAP. IIII.

PRoximum eſt, ut de natura temperata aliquid diſſeramus: quam quidem ex iſs, quæ de ſimilarium, diſsimilariumq; temperatione ſcripta reliquimus, quis facile poſsit coniectare. Nempe ſi par ſupradictarum proportio temperaturarum in homine ſpectetur, hunc planè temperatum

esse censebimus: atque deprehendemus in ipso notas, quæ de temperata natura à Galeno literis traditæ sunt. Verùm hanc ipsam temperaturæ moderantiam dici debere patet, collatione partium totius corporis: quandoquidem fieri nequit, similaribus particulis ab ea, quæ secundum naturam est mediocritate, ac temperatione, abeuntibus, una uel pluribus qualitatibus, quin protinus cõmutatio, corruptio ue accidat. Atqui recessus hic uarias caussas obtinebit: Interdum nanque à regione, interdum ab agente, aliàs à materia, aliàs ab ætatum commutatione: Quippe pueri calore, humiditateq́ sunt præditi: iuuenes calidi sicciq́: senum uerò ætas frigida, ac sicca: cuius rei nobis manifestissimum atque locupletissimum testimonium præbent horum omnium functiones: tum etiã, quòd alij quidem recentius editi sunt, alij uerò longius ab ortu absunt & iam ætate processerunt: præterea exercitia, studiaq́, uictus ratio, & quædam alia externa temperamentum immutant. Atque hæc uniuersa instrumentarijs partibus usuuenire posse eadem ratione, nemo ibit inficias: quinetiam totius corporis compositioni, ac structuræ. Iam uerò octo esse apud medicos temperierum recessus docuimus: nouemq́ differentias, quibus partes, uel ipsum totum corpus, functiones suas peragunt, atque id quod secundum naturam oportet patiuntur. Vnam uidelicet temperatæ, quæ & naturalis appellatur: octo uerò intemperatarum. Res etenim in qua calidum ac siccum præpollent, calida ac sicca dicetur: idem quoque de cæteris sentiendum. Qua ratione intelligendum tibi erit nouem temperaturæ sanitatis differentias, quarum temperata uniuersis corporum partibus tum similaribus, tum dissimilaribus communis est. Hoc tamen interest, quòd in illis primò, & (ut sic dixerim) essentialiter: in his uerò secundario, atque per accidens. Cùm itaque medici, intemperantias qualitatibus agẽtibus atq́ patiẽtibus acceptas referant, haud absurdè totius corporis temperamentum ijsdem assignabimus. Quare sequetur, ut quatuor in totũ emergant intẽperantię.

De com

De *compoſitarum, diſsimilarium ue partium ſalubritate.* CAP. V.

POſtquam igitur ſanitatem particularum ſimilarium, quæ ab earum moderata temperatura ipſis adeſt, quæq; primaria, propria, ac in ſubſtantia conſiſtit, ſatis ſuperq; explicauimus: atque item per accidens inſtrumentariarum, totiusq; ſtructuræ corporis, proximum eſt, ut de ea, quæ eſt officialium (quatenus officiales ſunt) eſſentialis diſſeramus: eiusq; omnes differentias percurramus. Diſsimilares itaque utpote compoſitas neque agere, neque pati in confeſſo eſt: niſiſi in qualitate, quantitate, (quatenus quantitas) poſitura, partium continua ſerie, terminorum contiguitate, (dum mutuo iunguntur) unitate, ſeparationeq; modum ſeruauerint. Erit igitur qualitas in figura concinna ac naturali in meatuum atque concauitatum ſymmetria: ne ſcilicet ampliores ſint, anguſtiores ue quàm par ſit: In ſuperficie mediocriter tum læui, tum aſpera. Quantitas uerò, ubi adeſt ipſarum numerus naturalis, modus, atq; menſura. Coniunctio, quando pars parti aptè coniungitur. Separatio quando pars à parte ſecundum naturam abſcedit: Cætera quidem nota ſunt. At unitio ſimilari quàm diſsimilari commodior. Porrò magnitudo ac paruitas menſuræ ſunt uocabula, quãtitati continuæ attributa, multum atque paucum diſcretæ. Menſura autem aptius ſimilibus, quàm diſsimilibus partibus aſsignabitur: quippe hæc modum naturalem minime obtinebunt, niſiſi prius ſimilares è quibus componuntur, ac conſtituuntur, moderatam quoque menſuram ſortitæ ſint. Ad hæc poſitura tantum dicetur partis, uiſceris ue in corpore locus: quemadmodum uentriculi, iocinoris, cordis, lienis quoque poſitum nominamus. Conſenſum uerò inſtrumentariarum intelligamus oportet eum, qui à natura prima ſtatim corporis ſtrue communis donatus membris omnibus: cuiuſmodi eſt conſenſus ille principum partium, quæ profecto functiones ſuas haudquaquam perficerent, ſi is abeſſet: unde priuatim uiſcus cum uiſcere conſentire ſpe-

ctamus,atque id manifeſtiſsimè in cerebri cum uentriculo conſenſu,potiſsimum in appetentia:Alium inſuper conſentiendi genus,cùm à particulis unius eiuſdemq́ membri officialis fit conſenſus,cum eo,quod eſt in ipſo maioris, præſtantioriſq́ dignitatis.Huiuſmodi autem uidemus,particularum omnium oculi,cum Cryſtalloide.Cæterum hæc breuiter perſtringo, utpote quæ à diſſectoriæ artis magiſtris facile diſcere poſsis,quorum multi de ea commẽtarios conſcripſerunt,ad quos,ſi non graueris,abeundum erit. Quod ſi in libris Galeni,aliorumq́ eius ſectatorum uerſatus fueris,atq́ ad manus tuas hi noſtri commẽtarij uenerint,eosq́ perlegeris,ingenuè fateberis,nos ſuper ſectione differentiarum ſanitatis uerius,exactiusq́ diſſeruiſſe,quàm fecerit ille, quem noſti,mihi non nominandus. At id iudicium rectè ferre haudquaquam poteris,niſiſi naturalem philoſophiam ſtudioſsime attigeris:te nanq́ hic philoſophum, quàm medicum magis poſtulo.

Quædam adhuc ſuperioribus adijcienda.
CAP. VI.

VErum ut cuncta à nobis abſolutius explicentur:quædam hic adhuc adſcribemus:Temperamenta ſcilicet ſalubria partibus attributa ſimilaribus,nos inueniſſe:alia quidem ſecundum ſe in temperationis extremo:alia uerò ab ea recedentia,qui tamen receſſus læſionem ſenſibilem neque in actionibus, neque affectionibus paſsionibus ue operatur: quod etiam inſtrumentarijs uſuuenit:unde qualitatẽ,quantitatem, poſituram,ac conſenſum temperata dicere par eſt. Quæ ſanè conſtitutio ea erit,quam Galenus libello de bono habitu,nos docuit:à quo tu quoque,ſi uoles,ipſam perdiſcito.Sunt igitur officialium partium ſalubritatis octo differentiæ:quarum quatuor temperatæ,atque item intemperatæ quatuor.Atqui nonnulli genus differẽtiarum quintum arbitrantur,commune tum ſimilaribus,tum diſsimilaribus: aiuntq́ eſſe formam coniunctionis noſtræ;quæ quidem dupliciter

pliciter intelligitur: uno modo nodoſa, altero uera: atque illa compoſitis, atque officialibus magis propria. Hæc autem ſimilibus partibus, quæ in habitum ſalubritatis earum referenda eſt. Iam uerò utrarunq; partium ſalubritatis differentiæ tum communes, tum propriæ nobis dictæ ſunt, & quo modo in omnibus communicent: quæ huic noſtro negocio ſummè erant neceſſaria. Similarium temperamentum moderatum aliud eſt ab eo, quod ineſt officialibus; illud quidē proprium & eſſentiale: hoc ſecundarium, atq; per accidens. Quam ſectionem qui ante nos, noſtraq; ſcripſerunt ætate medici, ingenij ſubtilitate parum ualentes, prætermiſere. Hactenus de his.

De *actionibus, affectionibusq; ſiue paſſionibus.* CAP. VII.

NVnc ad ſingularum partium actiones, affectionesue deueniendum: qui quidem cognitionis ſcopus inſtar finalium cauſſarum collocandus eſt. Qui uerò nuper expoſitus eſt inſtar cauſarum tum formalium, tum materialium nobis conſyderabitur. Verumenimuero priuſquam longius progrediamur, unum naturale principium ſtatuemus, uidelicet quodlibet corpus ex materia formaq; conflari, ac conſtare: at materiam formæ quoque gratia conſiſtere: unde colligēdum, ipſum ens naturale propter actiones ſuas proprias tantum eſſe. Quare Ariſtotel. pulchrè ac doctè ſentit: naturam fruſtra, incaſſum, ac temerè nihil eſſe molitā: quod in his quæ ab arte prodeunt, conſpicitur: quippe ligna nauis, formæ, ac figuræ nauis gratia adinuenta ſunt: & ſic è duobus iſtis conſtat, propter nauis actionem, quæ erit nauigatio. Hinc etiam in hominis corpore eſſe quippiam oportet, quod ſit loco tum formæ, tum materiæ: atque etiam poſtremò actionem affectionemq;, quæ ambæ abſolutionem partium indicant. Quærendum itaque, quid ſit uice formæ: quid demum uice materiæ: inde ad actiones, affectionesq; tranſibimus. Simplices quidem ac ſimilares partes in com-

poſito maxima ex parte locum materiæ habere ſpectantur: oſſa nanque,ac ſyndeſmi,hoc eſt ligamenta,tendones,nerui, caro ipſa,cutis denique formæ manus gratia confecta indicantur:quæ ſanè forma ad agendum,afficiendumq́;,ſiue patiendum erit idonea.Nempe manus fungi ſuis muneribus conſtrictionis, intenſionis ue nõ poſſet,atque expanſionis, ſiue relaxationis,& alijs huiuſmodi,niſiſi compoſita foret: præterea & ſi compoſitorum cauſſa incompoſitæ, ſimilares ue partes adſint tantum:habet nihilominus harum quælibet functionem ac munus peculiare, quod manifeſtius in ipſa ſtructura,ac cõpoſitura euadit,emergitq́;:idq́; in manibus uidere eſt,quæ ab oſsibus robur attollendi onera obtinent,atque à carne,neruis,& ſimilibus ſeſe expandendi,explicandiq́; modum.Poſt quæ diſcutiendũ inueſtigandumq́;, an ſit quippiam cuius gratia compoſitum ſit,cum quo denique munera functionesq́; ſuas obeat.Hinc uerò exordiemur:Partes natura quidem & agunt, & afficiuntur in totum,ab ipſis calore innato:qui alius eſt ab eo quem à temperamento adipiſcuntur: id quod indicationum methodo docuimus.Experimento quippe anatomices,(id eſt, artis diſſecandi corpora) compertum, exploratumq́;, in corde quoddam corpuſculum contineri uaporoſum, exquiſiteq́; calidum,quod ab ipſo per arteriarum canales in uniuerſum deriuatur animantis corpus,atque tranſmittitur:idem quoque de cerebro cenſendum.Quæ uniuerſa,cum ita cadant, ſcilicet neque agere,neque affici partes,præterquàm à calore interno:ſequitur quoq́; functiones ſuas à formis abſolui, perficiq́;,& ab eo ipſo quod à caliditate innata ſortiuntur. Atqui ipſarum forma conſtituitur ex utriuſq́; caloris (natiui ſcilicet,ac eius,qui à temperatura acquiritur) mixtura, qua agunt,afficiunturq́;: unde perſpicuò liquet cordis in animantis corpore excellentia, atque principatus, quo cæteræ partes omnes indigent, ipſum uerò, nullius adminiculo eget. Porrò de cerebri dignitate, atque præſtantia idem quoque ſentiendum, in partibus uidelicet, ac

uiſceri

uiſceribus,quibus præeſſe fertur.Incompoſita itaq; propter compoſita:hæc uerò ob calorem à corde deriuatũ,qui ęquidem his formæ loco adeſt:qua ratiocinatione patebit,ſingulorum membrorum functiones affectionesq; inde proficiſci.Verum enimuero an ſolus hic calor iſta efficiat: an ſit aliud quippiam,quod ſit huic caliditati uice formæ: medici conſyderationem tranſcendit.Iam uerò alias eſſe facultates, præter eas formas,quæ à temperatura proueniunt, aſſerimus:quas animas uocitãt:de quibus ante actiones,affectionesq;,paucis agemus:harumq; quot ſint differentiæ explicabimus:mox ad ea quibus unaquæq; pars attribuitur,addicituręq;,reuertemur:quod ſanè fiet cognitis potentijs quæ functiones peragunt.Illud uerò te in primis latere non uelim,functionum genera,quatenus ad nos pertinet, notiora eſſe earum facultatibus:Naturæ autem potentias notiores. Cum itaque philoſophi,atque medici functiones ſpeculantur,tres tantum poteſtates homini adeſſe affirmant:naturalem,uitalem,animalem.Naturalis quidem eſt,qua alimur, incrementum ſumimus, atque gignimur. Vitalis pulſum efficit,ac in corde ſedem habet:cuius quoq; reſpirando aperire,ac dilatare eſt: expirando occludere, ac conſtringere. Cuius quoque comes eſt uis illa impulſoria motrixq;, qua cum quid expetimus ad id apprehendendum impellimur, mouemurq;,aut auertimur ut id declinemus,ac fugiamus: hanc q; omnes in corde ſitam teſtantur. Porrò animalis in quinque eſt diſtincta modos,ac differentias ſenſiles: uidendi,olfaciendi,guſtandi,audiendi,atque tangendi:quibus etiã accedit motio ſecus locum (delationem, lationem ue uocant).Ad hæc in phantaſticam,quam imaginatricem appellamus,cogitatricem,æſtimatricem,recordatricem,conſeruatricemq;,diſſecatur.Quam quidem ſectionem medici in diuidendis animæ facultatibus uſurparunt: quæ & ſi parum apta ſit,tibi nihilominus in hac arte parum erit incommoda.Quamobrem aptior omnino illa erit,quę ſecundum motionem naturalem efficitur partitio:quandoquidem in con-

feſſo eſt,iſtas functiones non tantum attribui qualitatibus quatuor,uerumetiam facultatibus,quas animas appellitant: Super quibus dum fuſius,accuratiusq; diſſerunt,atq; diſputant,alias ſtirpibus adſcribunt,nutricationem ſcilicet,incrementum,ac generationem retro nobis dictas: quarum augendi functionem altricis finem rectè quis dixerit:gignendi uerò quaſi auctricis potentiæ abſolutionem,atque perfectionem.Prætereà animarum nomen habuerunt, tum quia organicæ,tum quia ex facultatum naturalium minime ſint: Eſto uerò quòd quis inter naturales referat largiori (ut dicitur) loquendi modo:is haudquaquam aberrabit, potiſsimum ſi animam à relatione uel functione intelligat:quòd ſi ab eſſentia tantum poteſtatem propriam ipſam cenſet,is abſurdè labitur:quod nobis teſtatiſsimum reliquit Galenus noſter,in quodam ſuorum commentariorum,ubi illam magneti comparat. Cæterum uis, à qua pulſus efficiuntur, altrix quoque eſt, diuidens ac princeps:utpote quæ unà cum corde calorem membris impartiatur,atque præcipuæ,primæq; altrici potentiæ famuletur,pariterq; cum ea ſeruetur.Quare abſurdum foret,hanc ab alijs diuerſam, ſeorſumq; collocare.Ergo ad nutricationem referenda,quemadmodum cæteræ quinque facultates,attractrix,retentrix, alteratrix,expultrix,& quæ diſcernens nominatur: quanquàm ea ipſa maioris in uita ſit momenti,ac ponderis,prædictis:ob calorem, qui multus ab ipſa emanat:qua ratione medici impulſi,nomen uitalis huic dedere:etſi ſub altricis genere comprehẽdatur.Quidam inſuper plantas,ſtirpes ue ab huius poteſtatis functione uegetales appellitant. Verumenimuero medicorum partitio,quæ potentiam animalem dictam,in quinque modos differentiasq; ſecat, ſentiendi,mouendi,imaginandi,reminiſcendi (recordandi ue) conſeruandi,ac denique rationis ipſius,uſquequaque uera eſt, uno excepto,& prætermiſſo,quòd ſcilicet nihil intereſt, an uim mouendi ſecus locum (lationem uocant) an uim mouendi à uoluntatis imperio atque impetu nominaueris:ubi

in conſi

in consimilibus cum ea conuenit imaginatio: id quod in commentario de anima exposuimus. Qui autem uim motus uoluntarij, illi quæ à uita nomen retinet, potentiæ assignant, atque illam, quæ motrix secus locum dicitur, alterius speciei esse censent, perperam facere mihi uidentur. Sunt etenim hæ tantum facultates, altrix, auctrix, sensitrix, genitrix, imaginatrix, appetitrix, ratiocinatrix, auctrix: & quæ æstimatrix, cogitatrix, conseruatrix, atque recordatrix. Est autem (quemadmodum retro iam dictum est) super imaginationem constituta rationalis uis, utpote quæ uniuersalia complectendo perficiatur: quod ab Aristotele primo auscultationis naturalis, & posteriorum primo discere potes: cuius nihilominus contrarium in calce primi commentarij auscultationum scribit: quæ dubia si quis diluere ac soluere concupiscit ab eo ipso Aristotele petat. Cùm itaque uniuersalia quæ ui apprehenduntur rationali particularia habeant, in homine sit oportet facultas qua complectatur essentiam horum particularium sub uniuersalibus contentorum: atque alia uis, quæ eorum recordetur. Quare cùm potentia ista uniuersalium complectrix, ea ipsa tantum imaginatis habitudinibus apprehendat, sequentur denique tres aliæ potestates, æstimatrix scilicet, quæ essentiam particularium comprehendit: recordatrix, quæ æstimatorum est impressio: tertia, ac postrema imaginatrix, quæ æstimatricis impressiones suscipit, atque amplectitur: atque hæ sunt tanquam uirtutis rationalis ancillæ: quippe haud secus, ac seruui dominis heris'ue suis morigeri sunt, parantq; ac curant quod facto opus est, ita & cæteræ potentiæ rationali famulantur. Patere item arbitror uim imaginatricem rationali adducere ea, quæ minime sint comprehensa. Quinetiã duas apprehendendi differentias, æstimatricem scilicet, ac conseruatricem rationalis comprehensioni attribui. Quare cum à rationali abscedunt uniuersalia, atque recordatrix uniuersalium reminiscitur, æstimatrix uerò iudicat, ac dignoscit, tunc imaginatrix essentiam illam particularem à recorda-

trice ſimul & æſtimatrice cognitam exploratamq́ habebit: qua habitudine ab imaginatione accepta conſequutaq́, uis rationalis, quo prius carebat id adipiſcitur. Inde fit, ut tres à nobis retro ſcriptæ potentiæ illi, quæ à ratione nomen obtinet, famulentur, ac miniſtrent. Eatenus autem medicinæ profeſſori utilia, ac neceſſaria, quæ de his diſſeruimus, non ignores: quatenus liberalius ac perfectius doceri uelit: eruntq́ à naturæ interpretibus quærenda. Verumenimuero quod in hoc negocio ex uſu medicinæ ſtudioſi candidatiq́ uſuuenit, id præcipuum erit temperamentum, quod ſingulis facultatibus ineſt, tribuiturq́, compertum habere, atq́ ſi præſens ſit, tueri: ſi deperditum, inſtaurare, ac reſtituere. Satis nanque ſuperq́ ſatis frugis referet ex hac diſciplina ſi à formæ temperationis notitia, & exploratione, formã quoque ſpiritalem intellectiuamq́ cõſequatur: quemadmodum ſi materia cognita, quatuor ſuccorum corporis, partiumq́ uniuerſarum cognitionem aſſequatur.

De uſu partium incompoſitarum, quæ ſimiles, ac ſimilares appellantur. CAP. VIII.

SEquitur ut manifeſtum faciamus, parteis omneis animantis eſſe ob prædictas facultates conſtitutas, atq́ potentias ob ſuas functiones: nullamq́ in homine partem, quæ non ſit actionis cuiuſdam, atque affectionis gratia: quas ubi exploratas unà cum temperamento ſingularum habuerimus, ſalubritatem quoque cuiuslibet partis per cauſſas, quę à fine appellantur, percognitam tenebimus. Iam enim per cauſſas, quæ tum à materia, tum à forma nominantur, nobis innotuit. Atqui effectrices huc adferre (utpote iam ſeparatas) minimè oportet, niſi ſi quippiam, quod effectricis cauſſę locum obtineret, in modo conſeruandi maneret. Principio igitur facto ab uſu ſimilarium, dicemus, rem quæ propter aliam neceſſaria eſt, id bifariam eſſe: Primùm, ut ſit eſſentia prima, eſſentiæ poſtremę, neceſſaria: ſicuti ſubſtantia ſimplicium ac ſimilarium ob inſtrumentalium ſubſtantiam fuit neceſſa

neceſſaria: Secundò non quidem à neceſsitate: uerum quoniam duo uno ſunt præſtantiora, idq; nobilitatem indicat, uti de oculo dicendum, qui ſanè quidem homini datus eſt ob uiſionem ei neceſſariam: binos uerò natura creauit, præſtititq; illi, quoniam commodiores utilioresq;. Nos uerò nõ paucos uſus prætermittemus, qui parum huic noſtro negocio ſunt idonei. Similarium itaque partium quædam ſunt ut oſſa, cartilago, ungues: quædam ut nerui, muſculi, ligamenta, membranæ, tendines, cerebrum, huiusq; oſſa, ſpinæ medulla, caro, adeps, cutis, pili, ſucci quatuor, atque ſpiritus. Atqui oſsium uſus præcipuus ad roborandum, ſtabiliendumq; nempe tanquam fundamenta quædam ad uniuerſam corporis ſubſtantiam ſuſtentandam ſubijciuntur: Ad hæc ad munimentum, tutelamq;, cuiuſmodi capitis atque thoracis oſſa. Horum uerò multitudo ad motus uarios particularesq;: manus quippe per ſe moueri non poſſet, niſi ſi ab oſsibus brachij ſeiuncta foret. Alius inſuper occurrit uſus, qui eſt, ut facilius exhalationum, uaporumq; copia diſcutiatur, diſsipetur, ac tranſpiret. Huiuſmodi autem ſunt ſuturæ quæ in caluaria conſpiciuntur. Quinetiam alij adijci poſſunt, ut eſt ille: ne, ubi os unum læderetur afficeretur ue, ita facilis eſſet ad alterum læſionis, affectusq;, tranſitus: quoniã alterum ab altero ſeiunctum. Multa quoque eſſe oportuit tum ob figuræ ipſorum euariationem, tum ob qualitatem, cuius gratia fabricata, tum denique ob magnitudinem, ac paruitatem: quæ uariatio in oſsibus digitorum, cruris, ac coxæ, ſpectatur. Verum figuræ, formæq; diuerſi modi adſunt, quoniam quæ ualida, grandia, grauiaq; eſſe oportuit: dura quoq;, ſolida, ac minime concaua conſtituta ſunt: quæ autem leuia, dura quidem, ſed caua. Porrò quæ carni adhærere iungiq; natura uoluit, teneriuſcula, ac mollia fabricata ſunt, cuiuſmodi cartilagines, & quæ eiuſdem ſunt generis: iſta uerò uel mediocriter eruditus te docere poteſt. Genus quidem unguium factum eſt duarum utilitatum gratia: primæ ac communis, ad ſummitatis digitorum munimentum,

ac conſeruationem: quo pacto haſtę ſummitati ferrum quoque affigitur: poſtremæ ut eius loci carnem firmarent, indeq; manus facilius, & melius apprehenderet: nihilq; illi effugeret, excideretq;. Functio uerò apprehenſoria unguibus manuum magis, quàm pedum propria. Primus uerò uſus cæteris animantibus communis quoque eſt: Nerui inſuper non paucas nobis adferunt dubitationes: quippe Galenus conſtantiſsimè aſſerit, neruorum utilitatem eſſe, uirtutem ſenſus ac motus à principio in parteis omneis tranſmittere. Ariſtoteles uerò conſtitutos inſitosq; ad calorem internum temperandum ſenſumq; itidem præſtandum: quæ ſententia proxima eſt illi, quæ de cerebro fertur. Galenus ad fulciendam ſuam opinionem, & firmandam, argumento utitur, quod uidelicet læſo aut in totum ablato neruo, afficitur, & adimitur ſenſus, atque motus: uerum id haudquaquam à methodo demonſtrationum procedere, ſatis patet ex his quæ in dialecticis diſcuſsimus. Vſus igitur neruorum eiuſdem generis cum cerebri utilitate, ab eoq; omnes planè ortum habent: nec eſt quod in cerebro fixos (ut ſentit Galenus) dicas: an uero motum uoluntarium efficiant: dignum accurata conſyderatione. Syndeſmorum, id eſt ligamentorum, atque tendonum uſum nemo neſcit: motionis, quæ ab imperio uoluntatis prodit, gratia inſtitutum. Membranæ pro tegmine impoſitæ, atque ut tueantur, ſuſpendantq; parteis quæ ſuſpendi aptæ ſunt, ac retineãt: quod ad ſyndeſmos magis pertinere uidetur. At quæ uentrem integit, huiuſmodi utilitatem obtinet: nempe arcet, prohibetq;, ne inteſtina prolabantur, locoq; dimoueantur: quo lapſu hernioſi efficiuntur homines. Venoſum genus duplex eſt: primum arteriarum, quæ ſpiritum ac ſanguinem à corde accipiunt, in omneisq; parteis expandunt, aliàs quidem ſanguinem tantum, aliàs ſpiritum ac ſanguinem ſimul. Alterum uerò uenarum quæ non feriunt, in quibus ſpiritus uix ſenſu deprehenditur, niſiſi Galeni opinio diuerſa nos ſentire cogat, qui in iocinore ſpiritus naturalis ſedem collocauit, quem ab

altrice

altrice facultate confici teſtati ſumus. Venarum autem riui permulti in omneis parteis corporis expanduntur (ſicuti & arteriarum) ut ſanguinem planè elaboratum concoctumq; ab hepate in totum corpus fundant. Meminiſſe hic te uelim, Ariſtotelem ſentire, partium omnium nutricationem ab utriuſq; ſanguine, uenæ ſcilicet, atque arteriæ, mutuo ſimulq; commixto, ac temperato perfici. Quinetiam iocinoris, atque uenarum ſanguinem, uice materię illi eſſe, qui per arterias à corde deferatur: qui quidem loco formæ erit, utpote alterum tum concoquens, tum perficiens, alimentumq; actui proximum reddens. Atqui Galenus eum, qui per uenas à iocinore diſcurrit, nutrimentum per ſe proximum arbitratur. Verum Ariſtotelis ratiocinatio ſuper his eſt huiuſmodi: Sanguis (inquit) quatenus ſanguis, partium haud dubiè eſt alimentum: quicquid uero alit, partibus accedere debet, aſsimilariq;: atqui uterq; ſanguis, tum arteriarum, tum uenarum, per omnia funditur, adeſtq; omnibus, ut ſit partium nutrimentum, ex eoq; conſiſtunt neceſſario. Cum uerò in crudum & coctum ſecetur ſanguis, ille quidem uicem materiæ, hic uerò formæ præſtabit: unde erit crudi, coctiq; collatio, ſicuti formæ atque materiæ: Hoc uerò in libris de animalium hiſtoria Ariſtoteles doctè explicuit. Cæterum ſi quis dicta Galeni probè diligenterq; perpendat, inueniet eum ſenſiſſe, parteis corporis ſupernas à ſanguine, qui in arteriis continetur, nutrimentum ſuſcipere: iubet nanq; in hemicranico dolore, comitialiq; morbo diuturno ſecari arterias. Summopere autem cuperem diſcere, cur non putarit alias quoque eodem ali ſanguine. Medullarum duæ ſunt differentiæ, una cerebri, quę ſub caluaria includitur haud dubiè materia ſpiritus, unde ſenſus exoriuntur: Altera uerò quæ in oſsibus habetur alimẽti ſanguinei, quod in ipſa diſtribuitur, concoctum excrementum, hancq; non continent ſolida, ac minime concaua: equiuocam itaque appellationem eius quæ in cerebro, atque alterius quæ in oſsibus contenta eſt dicere oportet: illa etenim à uulgò tan-

tum medulla nominatur;hæc autem omnino propè dixerim,uera eſt:Atq; oſsium concoctum uerumq; excrementum:itemq; eſſentia temperata:uerum ſpinæ dorſi medulla eiuſdem generis eſt cum cerebro,habetq; eoſdem uſus cum ipſo:At in quo mutuo diſcrepent, ubi de partibus diſsimilaribus diſſeremus,diſcere poteris.Porrò caro duabus continetur differentijs (uti retro iam docuimus) quas ambas tactionis inſtrumenta ſcriptum reliquit Ariſtoteles,eodem modo rationeq; ſe habentia,quo oculus ad uiſionem: cuius rei indicium,quòd ſimplex corpus ſenſum deprehẽdit ſimplicem:quo in officio neruus carni famulatur, ut temperet uidelicet ſpiritum ſenſus qui à corde tranſmittitur:quas rationes à nobis medicum neceſſe eſt accipere.Atqui ſenſionem atque motionem à cerebro neruis ortum eſſentiamq; habere liquet.Genus inſuper carnis muſculoſum à Galeno uocatum, inter officialia aſcribitur: à quo mouendi prima uis efficitur:quippe nullius adminiculo, nullo ue intercedente,ſed per ſe tantum mouetur:quandoquidem ſi aliunde motum haberet,aliud ſcrutaremur,quod ex ſe motionem haberet,moueretur q;:quo modo res in infinitum procederet: nihil etenim mouet,niſi idem quoque moueatur. Hinc neceſſariò rem quieſcere neceſſe eſt apud primum à mouente immobili agitatum. Verùm iſta in naturali philoſophia amplius interpretati ſumus: idem quoque carnis genus muſculoſum, motus ſecus locum (lationem uocant) Galeno inſtrumentum ſcribitur:& nos quoque aliàs diſſeremus de eo. Iam uerò corpus illud ſpongioſum, quod in inguinibus axillisq; poſitum eſt,huius tantum gratia fabricatum,ut exacta propulſataq; à cæteris partibus excrementa exciperet:facileq; poſſumus nobis perſuadere, adeo corpulentum,& benè carnoſum eſſe factum,ut impleret quod in medio uaſorum,in diuerſas parteis diductorum habetur: eiuſdemq; diductionis firmamentum ac tutela foret. Quod quidem & ſimplex eſt,animantibusq; omnibus communis: haud ſecus ac cor unum diſsimilarium ac compoſitorum

omni

omni animantium generi commune datum. Nunc de ſuccis quatuor quædam pertractanda ſunt, in primisq; de ſanguine ipſo, quem duplici præditum utilitate ſpectamus: una ut nutriat, quam functionem efficit is qui in iocinore ac uenis, quæ (ut medici ſentiunt) ab eo uiſcere originem habent. Altera ut conuehat atque deferat unà ſpiritum caloremq;, & is in arteriis contentus eſt. Pituita ſanguis incoctus eſt, uel (ut quis dixerit) ſanguinea ſuperfluitas, quæ parum abeſt, quin ſit ſanguis: qua abſente abſcedenteq;, & ſecreta, ſanguis abſolutionem nanciſcitur, quod de utraque bile, tum flaua, tum atra, uelim exiſtimes. Neceſſario itaque pituita corporibus inſita: fieri etenim nequit alimenta alterari immutarí ue, atque concoqui, quin & pituitoſa excrementa gignantur: Ad hæc alij quoque uſus pituitæ inueſtigari poſſunt: humectat nanque parteis, & nutritioni aptas efficit, uicemq; alimenti in longa inedia præſtat. Flaua uerò, atraq; bilis primò, ac per ſe in corpore continentur, haberturq;. Etenim cibaria concocta, quæ à uentriculo ad iecur trahuntur, in ſanguinem haudquaquam tranſirent, mutarentur ue, niſi iſi ab eis illa duo excrementa ſecernerentur: quemadmodum uinum dulce non niſi duobus excremẽtis abdicatis, altero craſſo terroſoq;, altero tenui, leui, aëreoq;, omnibus ſuis numeris partibusq; abſolutum dici debet. Quamobrem natura amaræ bili, atque atræ inſtrumenta ac conceptacula inſtituit, pituitæ uerò denegauit: quandoquidem ex hac partes conſtitui ac nutriri uoluit natura: ex alijs uerò retro dictis ſuccis nequaquam: patet autem quòd natura hos ſuccos inſtrumenta facultatis altricis noluerit boni electione: Nempe ueſica bilis meatum habet geminum: at ut plurimum unicus is eſt in inteſtinum, hoc eſt exitum fundi uentriculi & ieiuni medium inſertus, quæ inteſtina ſunt gracilia, ac ſublimia: uel ſi geminus meatus ſit in ecphyſim illam maior inſeritur, hoc eſt pyloron: minor in fundo uentris paulò ſuprà pyloron inuenitur, ubi eodem quo in inteſtinis fungitur munere: ueſica etenim illa portionem

tionem bilis quandam per hunc meatum qui unicus eſt, ad inteſtina effundit, ut illa excitentur irritenturq; ad excretionem, quaſiq; abſtergantur. Lienis quoque meatus geminos habet, unum quidem qui os uentriculi pertingit, quo exiguum atræ bilis in ipſum euomit, effunditq;, tum ut expurgetur, tum ut citetur appetentia: quæ profecto ab acidis excitari conſueuit: quorum alijs in commentarijs copioſius mentionem faciemus. Proximum eſt, ut de adipe pauca annotemus: cuius utilitas prima, ut calorem moueat atque accerſat omento atque ſepto tranſuerſo: eſtq; excrementum, ſuperfluitas ue cõcocti ſanguinis, quo partes animantis nutritæ ſunt: quare adipe moderatè adepta, ſummam eximiamq; ex eo ſanitatem conijcimus: probè nanq;, atque inculpatè facultatem altricem ſuas peragere functiones teſtatur: Inde ſi corpori non accreſcat, animal haudquaquam exactè concoquere ſignificatur: in quo excrementum, quod neceſſario probaui concoctionem conſequitur, minimè fiat: id uerò eſt calidum, humidumq;: quod etiam ad implenda quæ in animante uacua habentur natura conſtituit: ubi uerò immoderatius pinguescunt adipe animantia, prauæ, ac uitioſæ affectionis conſtitutionisq; nota eſt: multam quippe alimentorum materiam (ſanguinem dico) in adipem uerti, ob quam refrigeretur corpus, animalq; mortem obeat. Ad hæc ſenſu prædita non eſt, parteisq; ſenſus compotes inſenſiles efficit, ſi immodicè augeatur. Pilorum capitis, ſuperciliorum: palpebrarumq; uſus ad munimentum tutelamq;: qui nanque in capite naſcuntur, cerebrum à frigoris, caloriſq; noxa, & incommodo tutantur: qui ſuperciliorum, palpebrarumq;, oculos ab externorum lapſu tutos faciunt: qui ſub axillis, atque in pectine, alijsq; particulis exoriuntur, ex copia, exuperantiaq; materiæ originem trahunt. Galeni autem opinio, qua pilos à uapore quodam caliginoſo, fumido, atque exuſto produci aſſerit, non oſcitanter eſt perpendenda: pilus nanque corpus eſt intendi aptum, ſiccum, cuiuſmodi eſt alimenti ſicci ſuperfluitas, quando plus iuſto aduritur,

ritur, manente in ipſo exigua pinguitudinis portiuncula. Quamobrem non erit uapor ille, cuius ſit appoſitio partis ad partem: quinimo corpus eſt ualde continuum, & intendi aptum, atque in longitudinem auctum. Natura uerò (ut ego quidem ſentio) hunc uaporem machinata eſt generationis pilorum gratia: atq; ut alienum materiæ ſuperabundansq; excrementum ab internis ad externa euocaretur, expurgaretur q; animantis corpus. Quod imitantur agricolæ, qui ut fœcundior, feraciorq; terra fiat, ſemina illi committunt, atque inijciunt, quæ eliciant, attrahantq; quod in ea exuſtum terreumq; conſiſtit. At cutis omnium tegumentum commune. Spiritus proxima ſunt facultatis inſtrumenta, quæ animal regit atque gubernat: cui quinque poteſtates ancillantur, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix, quibus diſcernentem adijcimus. Verumenimuero alia quoq; ineſt facultas, quę abſolute gubernatrix nominatur, toti corpori communis, de qua aliquando plenius diſputabimus. Nunc tantum id dixiſſe ſatis ſit, ab anima eſſe ac prodire, qua abeunte, animal quoq; interire neceſſe eſt.

De *diſsimilaribus nutritoriæ facultati addictis partibus.* CAP. IX.

NVnc de partium officialium uſu paucis pertractabimus, quæ facultati altrici famulantur, neceſſaria in totum, ac manifeſta explicantes: principium facientes à nutricatione, quæ ad uitam eximium in primis uſum obtinet. Quippe ad functionum huius abolitionem mors ſequitur. Sunt uerò, quantum ſenſu uſurpare poſſumus, hæ: Ventriculus, atque os, & quædam oris particulæ, gula, inteſtina, iecur, uenæ, renes, lien, utraq; ueſica, tum bilis, tum lotij. Cæterum oris præcipua utilitas commanducatio eſt, in quod munus dentes inſtituti: anteriores quidem ad ſecandum (inciſorios uocant). Maxillares, qui & molares, ex translatione, quòd his cibi ueluti molis cereales fruges tenuantur, & atteruntur: at quòd in ore ſit aliqua concoctio,

patet, quamuis is, quem probè noſti, alio utatur nomine. Gula meatus, quo in uentriculum cibaria ingeruntur: cuius functio duabus cõſtat facultatibus, attractrice, ac propultrice, primò nãq; ab ore trahimus cibos, deinde in uẽtriculum deuorant̃, pellũturq; : qbus actionibus abolitis, animal ſimul inedia, fameq; occũbere neceſſe eſt. Variari uerò partẽ, quæ potẽtijs naturalibus famulatur, oportet: id quod ex arte ſecandi corpora patebit. Conſtat igitur gula tunicis duabus, interna atque externa: quarum prima, cui rectè ſunt fibræ, quò ab ore in ſe attrahat, inſtituta eſt: altera uerò, cui tranſuerſæ ſunt fibræ, quò conſtringat ea quæ continet ac protrudat, talis facta eſt: propellit autem cibos haud ſecus, quàm manus coacta ac compreſſa, fluida humidaq; . Sequitur uentriculus alimentorum per gulam ad ſe delatorum coctionis inſtrumentum: ea nanque in chylum mutat, atque alterat, at non in ſanguinem, quod confirmant indicantq; nuper dictæ potentiæ, quibus ad hanc functionem utitur. Concoctio uerò manifeſtior eſt in tunica eius craſsiore, ac carnoſiore, quæ plurimi caloris copiam tum à uenis, tum ab arterijs deriuatam continet. Poſtremò uiſcera calidiora adiacentia uentri habes: iecur à dextris, lienem à ſiniſtris. Duas quoq; habet tunicas quæ pertinent uſque ad ipſum os: Vna quæ interior eſt, qualis eſt in uentre, talis perſiſtens: Altera ad carnoſiorem ſpeciem in gula conuerſa, quarum fibræ contrariam inter ſe diſpoſitionem obtinent. Quę interna eſt, in rectum porrectas habet fibras, ut quæ trahendi cauſa ſit inſtituta: externa tranſuerſas, quò circulo contrahat. Hinc eſt quòd & attractoria, & expulſoria facultates euidentiſsimæ in hoc uiſcere ſint. Nempe ubi alimenta ingeſta ſunt, arctè ſtatim undiq; complectitur ſuis tunicis, quod ubi cibos ad perfectionem concoxit, uniuerſæ partes ſupernè inſurgunt ad inferna premendo. Habet uerò expultrix actiones duas omnino contrarias: unam quæ peracta concoctione deorſum, alteram quæ ſurſum expellit. At uis illa, quæ

nobis

nobis diſcernens nominatur,non ita euidens eſt in uentre, niſiſi ex cremore (chylum uocant) ali ipſum dixerimus,& ob id cibum appetere,& tam arcte undiq; conſtringere,premere,atque amplecti,quæ equidem noſtra eſt opinio. Quare ſi aliter ſentiremus,hoc eſt,ex hac cõuerſione cibi in cremorem,haud nutriri uentrem:cur igitur alimenta expeteret:eaq; accepta tam ualidè conſtringeret:famesq; & eſuritio ceſſarent,ubi ea ingeſsimus:alioqui neq; in appetentia, neque in complexu illo diſcernentis potentiæ functio obſcura foret in eo. Quod ſi ita ſit,ut pars parti famuletur, ſuiipſius non obliuiſcatur,oportet: unde tum alimentum, tum utilitatem ob id ipſum uenter ſuſcipiet, atque conſequetur:in quo collegarum noſtrorum non paucos dubitare audio:aiunt etenim,alimentum prius non poſſe eſſe cremoris illius conuerſionem, quàm in ſanguinem alteretur,immuteturq;.Atqui nondum cibi in uentre ſanguificationem adepti ſunt.Dicemus itaque,ex eo exiguum quiddam alimoniæ trahere qualitate magis,quàm quantitate ac copia inſigne:mox nanque deuoratis cibis remittitur, quieſcitq; fames:haud ſecus quàm ubi potionem ingeſſerimus, tollitur ſtatim ſitis.Atque abſurdum erit minime, exiſtimare, portiunculam quandam tenuem humore præditam aliquantulo,non ſanguineam adeſſe,quæ alimentum præſtet, quod nobis indicant animantia quædam exanguia,quæ nihilo minus nutriuntur.Cęterum concoctio in primis à caliditate humiditateq; fit:deinde ab arcto illo uentriculi complexu.Quamobrem animantia quibus uentres craſsiores, corpulentiores,durioresq; ſpectantur,eadem ualidius meliusq; concoquunt: huiuſmodi uerò ſunt uentres auium. Verum antiquorum nonnulli in hac fuerunt hæreſi,ut à ſola illa conſtrictoria facultate & amplexu,quibus uenter circa cibos utitur, concoctionem perfici putarent: atque ob id uentres quarundam uolucrum,quales gallinarum,atque perdicum,hominis uentriculo nonnihil opis ſuppeditare. Pars uerò hæc craſsior durioriq; in his facta eſt,quoniam

dentibus molaribus carerent. Proxima huic ſunt inteſtina, altricis quoque potentiæ inſtrumenta: primum nanque per pyloron ea quæ in uentre concocta ſunt, ad ipſa deferuntur, perfecta quippe concoctione, tum aperitur inferius os uentriculi, excidit́q; per ipſum quod concoctum eſt: inde iecur per uenas cremoris ſucculentum trahit: poſtremò ſicca ſuperfluitas excrementáq; deorſum ad inteſtina delabuntur, ac pelluntur: quorum duos uſus conſpicimus: alterum quoniam ab ipſis ad iecur alimentum tranſmittitur: alterum propter excrementorum expulſionem. Conſtant uerò duabus tunicis, ut ſint ualidiora: atque harum utraq; ex tranſuerſis conſtituta fibris eſt: quare in his propulſoria facultas euidentior eſt, attractoria autem imbecilla. Ad hæc uim concoquendi his adeſſe patet, obtemperamentum, quod proximum temperamento uentriculi ſortita ſunt. Multos uerò inteſtinis anfractus, multaśq; reuolutiones natura commenta eſt, ut materiæ in his contentæ perfectè concoquerentur, atque ut tandiu manerent, donec iecur, quod ſibi eſſet neceſſarium, aſſumpſiſſet. Quare Ariſtoteles animantia, quibus reuolutiones inteſtinorum paucæ eſſent, guloſa prodidit. Denique in iocinore alimentum in ſanguinem commutari, inde ad parteis omneis tranſmitti, in confeſſo eſt: quamobrem principem altricis poteſtatis eſſe Galenus cenſuit, ob excellentiam, qua cæteras nutritioni addictas parteis anteit: qui equidem ignorauit, alimentum in corde exquiſitum, ac poſtremum cõfici: altriceḿq; in eo primã ac præcipuam uim ſitam. Sunt uerò in nuper dicto uiſcere quinque naturales facultates: concoctricem dico, dum ſcilicet ſanguis conficitur: retentricem, ubi cibaria coquuntur: attractricem, dum ab inteſtinis ſuccum trahit: diſcernẽtem, quando ſecernit, dignoſcit́q; tria excremẽta: ſeroſum aquoſuḿq;, quod à renibus trahitur: bilioſum, quod à ueſicula huic innexa: atribiliarium, ac craſſum, feculentuḿq;, quod à liene: propulſoriam uerò facultatem attractoriæ proximam eſſe meritò dubitatur: cuius ſolutionem hic locus haud-

quaquam

quaquam poſtulat. Meminiſſe uerò te oportet, omnes has facultates mutuam quandam concordiam, atque concentum inter ſe habere in corpore, quemadmodum circa munus unum operæ multæ, & circa artificium aliquod multi artifices. Nutrienti uerò potentię uniuerſæ famulantur, quę ſanè eſt omnibus animantis partibus neceſſariò indita: uerumenimuero accuratius conſyderabimus, an altrix iſta poteſtas in iocinore principem ſedem obtineat, an aliud ſit uiſcus ipſo præſtantius, cui illa aſsignanda ſit. Nos quidem ſatis liquere ex his, quæ in naturali philoſophia ſcripta reliquimus, arbitramur, hanc ipſam nutriendi potentiam unã tantum portiunculam partis alitæ efficere: partes uerò ex elementis conſtitutas, ac compoſitas: quod uerò ex elementis conſtat, modo quodam temperantiæ id eſſe: quæ ſanè temperatio à quadam decoctione prouenit: decoctio uerò à calore, inde facultatis huiuſmodi inſtrumentum, fontem ac principium uehementioris caliditatis: parum enim aut penè nihil intereſt, neceſſarium quippiam dicamus partibus, an toti ipſi. Erit igitur ſcaturigo caloris iſtius iecur, aliæ ue nutritioni addictæ partes. Quòd ſi uera ſit Galeni ſententia, qua cætera membra huic potentiæ miniſtrantia calorem, dum ſuas functiones peragunt, aliunde non habere, quàm ab iocinore, aſſerit, inter ipſa principatum quoq; tenebit id uiſcus, cuius auxilio ſua obeunt munera: ipſum uerò ad ſuas functiones nullius ope indigeat: quæ excellentia ac dignitas non immerito principem efficit: quemadmodum inter agricolas is princeps, ac dominus appellatur, cuius imperio opera negocia q; curantur: is uerò nulli ſubditus munere ſuo fungitur. Diſcerem uerò libentiſsimè ex Galeno, cæteriſq; eius ſectatoribus, cur ſolum iecur ad hanc potentiam perficiendam ſufficiat: cùm ipſi fateantur, non paucas à corde arterias in ipſum deriuari, quæ non paucam caloris copiam deferant, quæ ſanè incaſſum ac temerè à natura commentæ ſunt, ſi iecur ad hanc functionem ſufficiat. At fortè reſpondebunt, ab iſto calore uim uitalem iocinori

infundi. Nos uerò iterum rogabimus, quæ ſit uitalis facultas in animantis partibus: an alia ſit ab altrice, atque ſenſibili, quibus uita conſtat: ſed magis ſenſibili acceptam referimus: quæ opinio aduerſatur iſti, quẽ probè noſti. Quæcunq; uerò de his potentijs conſcripſimus, id ob earum functiones actum putato, quas duas tantum, ſentiẽdi ſcilicet, & nutriendi arbitramur. At ſi obijciant tertiam aliam uirtutem à corde profectam, quæ ſcilicet pulſus gignit, ipſamq; ſolam per ſe dici uirtutem: Nos, etſi id fatebimur, cor tamen iocinori eam tranſmittere dicemus, uenæ etenim quæ ab hepate ſunt, minimè feriunt. Pulſuum uerò effectrix facultas illa uitalis à corde emanans: quę caloris ac uirium in quaq; parte corporis cuſtodiendarum cauſa eſt, itemq; unà cum ipſa cor partibus alijs primarium alimentum exhibet, cæteraſq; omneis uirtutes impartitur. Quãobrẽ cor princeps uiſcus erit potentię altricis conditor, hoc eſt, eius alimenti, quod eſt inſtrumentum quo cum agit facultas nutrimentũ exhibendo: quòd ſi hic alia eſſet uis præter iſtam altricem, alia quoq; membra haberent: fieri etenim non poteſt, ut ſit ulla in particula potentia ſpecie contraria alijs quę ſunt in cæteris mẽbris potentijs: Hæc uerò in ſolo principe uiſcere ſedem obtinet: quod neq; Galenus neq; alij medici uſquã cenſuerunt. Collatio itaq; cordis ad iecur eadem erit, cum ea quam facit Galenus iocinoris ad partes cæteras: Quare cor in hac facultate iocinore præſtantius ſuperiuſq;: Iecur nanq; ſuum munus haudquaquam probè obiret, niſi ſi à principe calor tum qualitate tũ quãtitate moderatus tranſmitteretur ad ipſum. Satis igitur, ſuperq; probatum. Cor principem eſſe, & effectorem præcipuum potentiæ nutritoriæ: quod à Galeno & cæteris anatomices magiſtris omiſſum eſt. Non eſt prętereà quòd cenſeas iecur princeps uiſcus uocandum, quamuis eo indigeat cor ad alimenti tum elaborationem, tum confecturam: quemadmodum uentriculus, etſi cibum iocinori apparet, princeps nihilo minus nõ appellabitur: Neq; bubulcus cæteris bubulcis edulia parans, eorum princeps protinus

cenſebi

cẽſebitur. Poſtquam igitur cordis principatus diſcuſſus eſt, & ex arte ſecandi corpora liquet arterias in omneis parteis corporis diſpergi & ob id à corde alimentũ quoq; exhiberi eo modo quo nuper diximus, non incaſſum temereq; factas arterias opinabimur. Cæterum hactenus per anatomicen ſpectatum non eſt, ab epate per uenas ad cor ſanguinem deferri; is etenim qui in uenis habetur, imperfectior eſt: qui uerò in arteriis continetur, ut uehiculum ſpiritus eſſet, infuſus eſt. Dicet uerò quiſpiam, hanc conſyderationem ad medicum non pertinere. Ego uerò maximè neceſſariam ingenuè fateor, quod aliàs diffuſius explicabitur. Cæterum non poſſum non demirari Galenum commentario de locis affectis III. immerito Archigenem reprehendentem, in curatione memoriæ deperditæ: quippe hic memoriam à corde proficiſci exiſtimans, remedia cordi idonea adferebat: ad quem Galenus ridens (inquit) poſtquam ò Archigene tu in ea es opinione: memoriam in corde ſitam, cur cucurbitulam cordi non affigis, omnemq; medicationis ſcopum ad id non uertis? Ego uerò Galeni, quàm Archigenis ſententiam digniorem reprehenſione cenſeo: quod ex his quæ retro iam diſſeruimus, & poſthac diſſeremus, patebit apertè. Cor omnium corporis partium princeps: atque eius ſitus ſedem obtinet principalem: in medio enim poſitum eſt, (qui locus eſt regum, ac nobiliorum) ut undique attingi uel æquè uel proximè poſſet, & tutius conſeruari: quare inuolutum & circundatum mẽbrana craſſa (pericardion uocant). Nutrimentum illi aduenit ex uena, quæ inter ipſum atq; iecur iacet: tegumentũ uerò atq; operimentum quod auri eius impoſitũ eſt, eius gratia factum eſt, ut recluſum, ſanguini præberet ingreſſum: occluſum uerò, retineret. Altera uerò auris, quæ à uena (ut nõnulli ſentiunt) ad pulmonem ſanguinem deferente alimenti gratia (uenæ nanque nullæ pulmoni ſunt continuæ) operimentum habet ad hoc commentum, ut extrorſum apertum ſanguini exitum in pulmones præſtaret: uerum alteri

harum

harum aurium terna inſtituta ſunt tegumenta, ut aperta introrſum ſanguis atque ſpiritus in arterias dimanarent, ac fluerent: nec poſtea refluerent, recurrerent ue. Hęc autem uena eſt in cordis uentre ſiniſtro, eſt uerò arterię maioris os. Altera uerò auris, quæ alia in parte eſt, arteriæ os eſt, quæ ad pulmones tendit, à qua uentilatio cordi contingit, quare ut extrorſum aperirentur, tegumenta huius facta ſunt. Sequitur ut de liene nonnulla dicamus, qui duos meatus habet, unum iocinori, alterum uentriculo continuum, in hoc uiſcere craſsitudo ſanguinis ſpectatur, quare ut à melancholico ſucco iecur expurgaret, conſtitutum arbitrantur. Abeſt autem non parum à ueritate, ſi duo eſſe hepata in corpore exiſtimemus: nullas enim ab hoc uenas ad alias partes deriuari cernimus. Veſica uerò quæ iocinori ſubeſt, ut bilioſum traheret excrementũ. Renes quoq; iocinori ancillantur: trahunt nanque id quod eſt in ſanguine aqueum ac ferosum per uenam quæ à gibbis iocinoris exoritur. Veſica altera, ut à renibus ſeroſum, aqueamq; ſuperfluitatem traheret ac reciperet: habet uerò operculum quoddam cortici non abſimile (muſculum alij uocant) quod dum trahitur lotiũ, reſeratur: attracto uerò & defluxo, occluditur, ne ad renes recurrat. Id uerò maximè meminiſſe te uelim, unumquodq; inſtrumentorum inſtitutorum ad ſanguinis expurgationem, attrahere excrementum illud tantum, ut ex eo alimentum ſuſcipiat: pręſtant uerò & alios uſus neceſſarios, unde facultatibus nuper ſcriptis ſingula prædita ſunt, attractrice uidelicet, alteratrice, retentrice, diſcernente, atque propultrice: Hæc ſunt omnes altricis potentiæ partes. Cæterum duas tantum concoctiones omnibus particulis communes memineris, uentriculi atque iocinoris. Atqui ſi placet in uenis aliquam collocare, ea ſit exigua. Tertia uerò ac poſtrema ſingulis membris propria ac peculiaris.

De partibus diſsimilaribus quæ ſunt genitiuæ potentiæ inſtrumenta. CAP. X.

Quoniam

QVoniam de partibus nutritioni dicatis ſermo nobis retro plurimus fuit,iam de his,quę generationis ſunt inſtrumenta,diſſerendum:Auctrix nanque potentia eadem habet cum altrice organa,nulla uerò ſibi propria. Partium genitalium aliæ ſunt fœminarum,uterus, uuluæ, mammæ: maris,teſtes & coles.Teſtes ad genitale ſemen efficiendum emolita eſt natura,quorum caro alba,fungoſa, ſpongioſaq; eſt,cuiuſmodi quoque mammas habere ſpectamus, quare ſanguinem ſibi ſimilem faciunt,hoc eſt,albicantem: quemadmodum & iecur chylum in rubrum mutat,hoc eſt,ſuum colorem:agens quippe quod ab eo afficitur,ſibi conſimile reddit. Illud uerò te latere non debet,ipſos in generatione principatum non obtinere,ut ſentit Galenus:etſi facultas iſta in his ſita ſit: quandoquidem functiones ſuas nequaquam poſſunt peragere, niſi ſi per ſpiritum qualitate ac quantitate moderatum à corde tranſmiſſum:quare in confeſſo eſt, uim illam cordis,quæ tam probè calorem temperat,ut inculpatè ſua munera obeant teſticuli, præcipuè genitalem appellandam.Quæ uerò facultas ipſis adeſt, prædictæ miniſtra erit:atque ſi excellentiam quandam obtinere uidetur,particularis cenſebitur. Quos autem Galenus in fœminis conſtitutos eſſe prodidit,nullius in generatione momenti eſſe exiſtimes: quippe ſemen quod in uenere ab ipſis emittitur,ad generationē nihil utilitatis habet. Atqui aliquis dicet:Fruſtra ergo horum teſtium conſtitutio à natura facta eſt? Huic protinus reſpondebimus, in maribus mammas nihil conferre ad genitricem potentiam:in illis tamen nonnullos uſus inſitos. Rogabit iterum quiſpiam, Vnde ſemen fœmineum genituræ nihil opis ſuppeditare exploratum habeam? Dicam ingenuè,id tum ſenſu,tum argumento deprehendi:Nempe fœminam non emiſſo ſemine concipere non ignoramus:Ego igitur poſtquàm Ariſtotelis de ea re commentarios perlegiſſem, non paucas obſtetrices rogitans,an id uerum eſſet,comperi creberrime uſuuenire,uel ſi inuitæ coëant.Harumq; multas uidimus quæ

ui uenerem eſſent paſſę,concepiſſe. Porrò matrona quæ-
dam quæ è regione ędium noſtrarum habitabat,iurauit no-
bis uel conceptis uerbis,cùm balneum intraſſet,in quo im-
probi quidam homines antea dum lauarent,ſemen genitale
profudiſſent,ſtatim concepiſſe:quod etſi incredibile uide-
retur,fecit nihilo minus uitæ illius anteactæ integra,atque
inculpata caſtimonia,ut fidē uerbis ſuis adhiberem. Quam-
obrem protinus ad commentarium quendam Auencladij,
quem de ſemine genitali edidit,euoluendum,acceſsi:ubi id
poſſe contingere inuenimus. Cuius rationem mirè nobis
arridentem huiuſmodi afferebat: uidelicet ipſi utero ineſſe
uim quandam propriam abditam, ac cæcam,cum ſemine
genitali:qua ipſum trahit:ad quod nulla opus eſſe delecta-
tione uoluptateq; ſcribit. Eximiæ quidem, & doctæ homi-
nis rationes. Illud autem quod naturali argumento explo-
ramus,eſt,quòd ſi fœmineum ſemen eaſdem in generatio-
ne,& tam eximias uires obtineret,quàm maris ſemen:poſſe
fœminam ex ſe nullius ope generare, quare mare minime
opus eſſet. Non eſt inſuper cenſendum partes quaſdam à
ſemine maris, alias uerò à fœmineo conſtitui: quoniam
quamuis numeroſæ ſint,in uno tamē (quod ipſis ineſt prin-
cipio) unum ſunt:cuius quidem principij largitor, atque
opifex,cor erit, partium quoque omnium auctor poteſta-
te:quod ſi à fœmineo ſemine dimanaret, nos utique maris
ſemen ad generationem nihil conferre recte arbitraremur:
uerùm eadem eſt ratio de hominis genitura. Dicet uerò ali-
quis,neutrum horum ſuas functiones agere: niſi ſi prius ſit
mutua commixtio atque temperatura: aliamq; formam ac
conſtitutionem ſint conſequuta: quemadmodum mel ſo-
lum,aut acetum ſolum oxymel non conficit, uerùm opus
eſt mixtura & temperatione mutua: fatebimur utrunque
habere temperamentum,quod à perficiendi facultate, præ-
dito uenit: Atque utrunque uice materiæ hic eſt,nullamq;
formam quàm à ui genitrice conſequitur. Quamobrem
pars quæ talem temperaturam obtinet ac facit, generatio-

nis fa

nis facultatem quoque habebit: in qua opinione qui uerſantur: uterum ui præditum generandi fatebuntur. Ego uerò libẽtiſsimè diſcerẽ, in quo neceſſaria ſunt ſanguis ac ſemẽ ad hanc functionem peragendam. Sanguis etenim membra uniuerſa nutrit ac conficit: patet item ſemen maris ac fœminæ non poſſe operari omni ſpecie: ſed & fœminam ad generationem functiones habere quiſpiam dixerit, quamobrem actionem unius ſine alterius actione conſiſtere abſurdum foret. Ambo igitur ſcopum unum obtinent ſuarum functionum: fœtum ſcilicet, cui ab utroque portio eſſentiæ inſeritur: ab uno quidem forma, ab altero materia: uerùm nuſquam præſtat formam fœmina: nuſquam mas materiam: quod enim alimentum exhibet, materiam quoq; præbet: at fœmina alimentum ſuppeditat, ſuggerit igitur & materiam: formam uerò mas, quæ eſt Ariſtotelis ſententia. Verumenimuero quoniam fœmina in ſe nihil contineat, quod materiam exiſtimare ualeamus, præter ſemen atque ſanguinem menſtruum: at ſemen, aquoſa eſt humiditas excremento ſimilis: nec aberrabis ſi uerè excrementum nominaueris, quo membra ali haudquaquam poſſunt: à ſanguine etenim potius nutrimentum ſuſciperent: qui uerè alit. Nihil uerò intereſt inter alimenti materiam, & inter eſſentiæ materiam: alimentum partim eſſentia eſt: generatio uerò eſſentiæ, eſt in toto. Totius uerò materia eadem eſt cum illa partium. Ad hæc fœmineum ſemen, materiam fœtus non eſſe indicio ſunt mulieres, quæ citra emiſsionem ſeminis grauidæ fiunt: uterus quidem propellit, euomitq; ſuum ſemen: maris uerò attrahit ac retinet: quibus liquet ſuperfluitatem eſſe fœminæ ſemen, à uoluptate concitatam huc illucq; diuagantem, haud ſecus, ac ſaliua in ore eſurientis atq; famelici prouocatur, dum alium edentem conſpicit. Maris quidem ſemen agentis uices implet: partes item à calore naturali, qui ſedem in corde obtinet, aluntur, hicq; primum eſt animæ potentiæ altricis inſtrumentum: atque ob id quoq; facultatis perficientis abſoluentisq;. Porrò in maris ſemine

atque ſanguine qui in utero continetur,præcipuam caliditatis huius portionem actu adeſſe oportet: in ſemine illo quidem,quia calidum humidumq; eſt. Sanguis autem ex quo conſiſtit ac gignitur fœtus ex uenis corporis fœminæ, qui in utero retentus, longè abeſt à facultate nuper dicta: incoctus nanque hic exiſtit:quinetiam longiſsime abeſt ab eadem potentia fœmineum ſemen:præterea fœtum in ſe caliditatem habere,non erit dicendum: quandoquidem calor ille naturalis à calore alentis tantum naſcitur. Quamobrem ſic colligemus, ſemen quod eſt fœminæ,neque materiam, neque formam fœtui ſuggerere:quippe illa à ſanguine menſtruo,hæc uerò à fœmineo ſemine ſuppeditatur.Item ſemen non ſolum qualitate,uerum etiam quantitate uſum utilitatemq; præſtat.Ariſtoteles itaque Galeni calumniam uitabit,qui ancillam,quæ ſaltauerat apud Hippocratem, abortiuiſſe ſexto die,contra Ariſtotelem adducit:poſt quem ſaltum ſemen membranula inuolutum uiſum eſt: neque ab Ariſtotele rogandum,ubi ſemen iſtud haberetur,utpote in re medica parum neceſſarium:pertinet uerò hæc diſputatio ad generationem animalium:quare qui controuerſiam explicatam ac ſolutam habere uolet,ad commentarios de generatione animalium Ariſtotelis confugiat. Noſtra igitur oratio unde egreſſa erat,reuertatur. Coles tum ut ſemen in uterum immittat,atque infundat,tum ut per eum reddatur lotium conſtitutũ fuit: Vteri,ut cõtineatur in eis,quod gignitur,atque ut per eos defluat excrementum ſanguinis incocti fœminarum (menſtruum uocant):cuius ortus eſt ab immodico earum humore ob penuriam interni caloris non probè concocto,inq; parteis omneis tranſmiſſo. Quare natura meatus inſtituit,quibus menſtruum iſtud excremẽtum uicibus quibuſdam ac circuitibus propelleret:conſtituit uuluas natura ex multis fibris tranſuerſis,ut retentrix facultas ualida eſſet:nonnullis uerò oblongis,ut ſemen genitale attraherent,atque uis propulſoria eximia eis ineſt, unde & fibras in latum protenſas nactæ ſunt.Quæret uerò quiſpiam:

quiſpiam:an uteri immutandi poteſtate ſint præditi:Dicam conſideratione ampliori id eſſe ſpeculandum: quandoquidem abſurdum eſſet aſſerere,uterum partes fœtus fingere, cùm à ui illa (quam informatricem nominant) unà cum calore ſemini innato fingantur.Quin potius quæ in uulua eſt immutandi potentia conſeruatricis,tantum uicem occupat: ſemen etenim cum ab aëre nos ambiente attingitur,ſtatim uitiatur:unde uidere eſt,quam immutandi uim uuluæ contineant.Poſt hæc mammæ explicãdæ,quæ,ut lac progignerent,factæ ſunt:caro etenim ipſarum fungoſa albidaq́;,atq́; inſignem cum utero conſenſum habent:quare ubi quæ ad uteros profluere debuerunt,ab aliqua cauſſa impediuntur, ſtatim ad mammas recurrunt,quod lactantes apertè indicant,quibus nulla,aut pauca erumpunt menſtrua: quarum nonnullæ dum infantibus lac præbent,concipere minimè poſſunt.Hactenus de menſtruis ac ſemine genitali.

De *inſtrumentis ſenſibus dicatis generatim.*
CAP. XI.

SEntiendi potentia quinque omnino modis explicatur: uidendi,audiendi,guſtandi,olfaciendi,& poſtremò tangendi:quorum gratia cerebrum à natura factum eſt,præcipuè propter quatuor primas differentias ſenſuum,quorum quilibet ſuo duntaxat inſtrumẽto cõtentus eſt:uiſus,oculo: olfactus,naribus:lingua,guſtus:auditus,auribus.Tactionis uerò inſtrumentũ non paruam dubitationẽ adfert. Quippe Galenus neruos,qui à cerebro oriuntur, inſtrumenta ſenſionis eſſe cenſet,ab illisq́; omnibus partibus ſentiendi uim ſuppeditari. Ariſtoteles autem ſedem ſenſuum carni tribuit,opinioni inhærens,quam de cerebro concepit:ille nanque ſenſus in cerebro eſſe,tãquam eorum principe,hoc eſt, citra alterius opem functiones ſentiendi à cerebro præſtari. Hic uerò cor principium eſſe ſenſuum, cui in hac facultate ancilletur ac ſubijciatur cerebrum, uel quinque ipſos ſenſus obtinens:id quod eadem methodo contemplari uolu-

mus,qua nuper iocinoris excellentiam excuſsimus. Primò quidem Galenus cæteriq; anatomices peritiſsimi ingenuè fatentur,arterias nõ paucas,magnasq;,ac ualidas à corde ad cerebrum tendere:unde facilè innoteſcet,in his functionibus cerebrum cordis auxilio indigere. At dicet aliquis:Si à corde cerebrum calorem delatum accipiat,quo alitur,ac foueturnecesſariò ſequetur,cor ipſum cerebro famulari: alimentum nanque & altrix ipſa poteſtas non aliam ob cauſſam à natura exhibita ſunt animanti,quàm ob ſenſus & ſentiendi facultatem:quod uerò à cordis calore cerebro accedit ac ſuggeritur,ſenſus ſunt omnes,quinario complexi numero:quamobrem dicet alius uim ſentiendi in corde præcipuè ſitam:quæ quidem ſenſus eſt communis uocatus:cuius eſſentiam in commentarijs de anima ſatis ſuperq; explicauimus. Hac itaque in re Ariſtoteles atque Galenus mutuo diſcrepant,illo in corde,hoc in cerebro ſenſitricem uim collocantes. At ſi roges,quomodo compertum habeamus, à corde cerebrum ita moderatum calorẽ tum qualitate, tum quantitate obtinere,ut ſenſibus omnibus efficiendis ſit ſatis: Hic tibi liberè,ac uerè reſpondebimus:haudquaquam à quouis calore ſenſus quoslibet gigni: quandoquidem is quo cum alendi potentia agit,alius eſt ab eo,cum quo ſuas functiones peragit uis ſenſitrix,quod ipſum in dormientibus,atque uigilantibus uidere eſt:nempe in ſomno nutritoria facultas ualidior eſt,quo tempore ſenſus actu nõ ſunt. Quare caliditas, cuius ope functiones ſuas ſentiendi uis perficit,in ſomno delibutis,actu in ſenſibus minime ſpectabitur:quidam etenim oculis patentibus dormiunt:atque hi tamen haudquaquam uident:id uerò committitur,calore,in quo conſiſtit uiſio,per neruos uiſorios (opticos Græci uocant) recurrente ad interna:alioqui cernendi munus haud quieſceret. Ad hęc meminiſſe oportet,unam eandemq; uim, actu atque poteſtate ſimul & eodem tempore inueniri haud poſſe:facultas itaque cernendi una cum ſpiritu uiſorio emanat:hic uerò cum naturali calore:uis uerò illa ubi quis dormit

mit actu non ineſt,quippe in ſomno uideret. Porrò calor naturalis,qui uim ſenſitricem roborat,non is eſt,qui altricē fouet:dormiens etenim alitur,at minimè uidet.Quando uerò unde tranſmittatur,& quò recurrat calor ille didiceris, ſedem quoque ſenſus communis exploratam habebis. Verumenimuero à corde proficiſcitur ac defertur,illucq; redit, ac reuocatur:quare uigilans planè calidior eſt circa exteriora,dormiens uerò frigidior,qui inde altricem uim ualidiorem habet.Abſurdè igitur quis aſſeruerit,calorem illum, à quo ſenſus omnes,ac uigilia conſiſtunt,primum à cerebro exoriri,ac fieri:uiſcus etenim id eſt frigidum, & qui inde naſcuntur nerui frigidi:quippe maior horum numerus frigus euidentius continere conſpiciuntur: quamobrem incredibile quippiam foret,ſi calorem ab his in corporis parteis deferri ac delegari cenſeremus.Præterea & qui animæ altricis materia eſt calor, & qui ſenſitricis,unum quidem ſunt,tum ſubiecti loco,tum ſitu:potentia nanque alendi,quę in fœtu eſt,ad ſenſilem admittendam & excipiendam idonea eſt. Hæc autem fœtui formam finemq;,illa materiam præbet.Atqui receptio in loco maximè apto fit: anima uerò recipit in ſui tantum ſubiecti loco,ſuiq; ſitus, qui ſanè calor eſt naturalis:quare ſedes,in qua animam ſentiendi uim admittere neceſſariò oportet,illic erit:quod igitur ex utraq; conflatum,ac temperatum eſt,unum loco ſubiecti ac poſituræ dicemus:quamuis in neutra duarum figurarum poſsit unum eſſe.Simpliciter quidem unum hoc eſt numero: atq; unū definitione:certaq; de his noſtra eſt præclara ſententia. Verūenimuero poſtquàm apertiſsimè declarauimus calorē (à quo gubernantur,moderanturq; ſenſus) ſedem in corde obtinere:eam quæ ſenſum communem regit potentiam,hic quoque ſitam cenſebimus,cui cerebrum ipſum famuletur, & quæ principem eminentiſsimum cor habeat:nos id indicatiua methodo fuſius expoſuiſſemus:ſed breuitati ſtudentes,in alium differemus commentarium. Cerebrum itaque cordis miniſter facultatem ſenſitricem illi ſuggerens,eo ſcilicet

licet pacto, quo rex à cubicularijs sui potestate (quam nihilo minus à rege acceperit) aliquid facere impellitur. Quærendum deinceps, quo modo cerebrum cordi deseruiat, quemadmodum de ministerio iocinoris retro diximus, quod alimentum uidelicet cordi apparat. Nunc uerò haud dubie asseremus, functiones sensuum in quauis caliditatis mensura ac modo non perfici: patet quidem uehementiori non opus esse, ne externè sensilia percipi impediat. Spectamus etenim acutis affectos morbis, & ob id cerebri plerunq; calidiori intemperie laborantes, sese uidere, audireq; multa, quæ nusquam sunt, existimantes: Id quoque in tactione præcipuè innotescit, quæ in primis ad qualitates percipiendas instituta est, quibus carere suum instrumentum utpote commoderatum ex eis, haudquaquam potuit: atque ideo etiam temperatissimum factum, ut exquisitius exactiusq; sentiret. Cæterum cor cum sit calidissimum, iccirco aduersus cordis sedem & calorem cerebrum natura molita est, ut feruorem illius moderaretur, & temperiem afferret, qua sensilia perfectius sentiremus, ac deprehenderemus. Atqui si frigidum cordi temperamentum indidisset natura, altricis potentiæ functiones imbecillimæ forent. Cerebrum uerò ac cor sic aduersa posuit, ut nuper dictas potestates animantia perfecta exquisitissimas absolutissimasq; obtinerent. Spongia quidem quæ inter animalia ascribitur, & multa id genus, cerebro indiguisse non uidentur, potissimumq; eo neruo grandi (spinæ dorsi medullam intelligit) qui à cerebro ortum habet: quare si fortè aliquando pars nonnulla huiusce modi, animãtium secetur, abrumpatur, aut euellatur, illa & uiuet, & nutrietur, & incrementum suscipiet: hoc est, residuo animal illud renascetur, & complebitur. Hinc spectari potest, in quo cerebrum cordi famuletur: quod doctè & sapienter Aristoteli eiusq; sequacibus, atque sectæ uiatoriæ scriptum est. Caluaria ad cerebri defensionem ac munimentum constituta, figuræ rotundæ, ne tam facilè læsioni pateret: quod imitati duces, iubent turres rotundas

construi,

conſtrui, ad uix patiendum aptiſsimas. Ad hæc ſphæri-
ca tum capaciora, tum aſsiduæ motioni ac uertigini prom-
ptiora ſunt.

De ſpinæ dorſi medulla. CAP. XII.

SPinæ dorſi medulla eiuſdem generis eſt cum cerebro uertebras affixas ſibi continens.

De tactionis inſtrumento. CAP. XIII.

TActionis proprium inſtrumentum caro eſt, utpote animantibus omnibus communis: quin & ipſe tactus ipſis communis eſt: quorum perfectiora carnem obtinent neruis numeroſis refertam, quibus eius temperamentum moderetur. Cum itaque nerui eiuſdem ſint cum cerebro temperaturæ: qui ab eis uſus expectantur cerebri uſibus reſpondebunt: uerumenimuero partes in quas pauci inſerũtur, ſparguntur ue nerui, hebetiori, atque obtuſiori ſenſu præditæ ſunt: porrò huius ſenſus quippiam partibus uniuerſis carnoſis commune eſt, quatuor ſcilicet qualitates: caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas. Quippiam uerò uni tantũ parti proprium: quemadmodum ubi os uentriculi, inanitionem quandam perſentiſcit, hoc eſt, famem, ac ſitim: illa quidem ſenſus erit reſolutionis craſsioris eſſentiæ calidæ ac ſiccæ: Hæc uerò frigidæ & humidæ: duplex igitur ſenſus proprius conſtituitur. At titillationis ſenſum, qui in glande colis, pudendi ue percipitur, dum ueneri indulgemus, tactui acceptum referimus.

De lingua. CAP. XIIII.

SEquitur lingua, quæ ad ſapores percipiendos, unà cum ſuis neruis accommodata eſt: alij uerò (ut præſtantius) adijciunt, ad literas etiam exprimendas, & explanandas, & ad ſermonis expreſsionem factam eſſe: in cuius radice duo meatus uiſuntur, glanduloſum illud quod ſaliuam prolicit attingentes: uſus uerò id genus ſaliuæ eſt, ut ſapores guſtui reddat.

De *oculis*. CAP. XV.

OCulos uiſionis gratia conſtitutos, nemo neſcit: hi ſeptem conſtant tunicis, atque tribus humoribus: quorum chryſtalloides primum uiſus inſtrumentum, uel etiam tunica, telæ aranearum ſimilis (arachnoides Græcis dicta) ſupra hunc humorem poſita: Quippe ex naturali philoſophia didiciſti, hanc comprehenſionem in re perlucida, peruiaq; (cuiuſmodi ſunt aër, atque aqua) fieri: quorum perluciditas facit, ut colores admittant. Sunt uerò duo tantum in oculo ex mixtura ac temperatura aëris atque aquæ exquiſitiſsimæ luciditatis: Ad hæc globoſam figuram chryſtalloides habuit paulatim depreſſam ad ſenſilia numeroſiora complectenda: huiusq; gratia alij omnes humores atq; tunicæ conditæ fuerunt. Depreſsio uerò illa moderata, ut quippiam à grandinoſa aſſumeret: Humor nempe qui uitri fuſi colorem refert (hyaloides Græcis) rore quodam hunc alit: quandoquidem longè abeſt à ſanguine: oportuit medio intercedente aliquò ſanguinem tranſire ac deriuari, ut cætera ad alimentum huius eſſent idonea: Qui uerò albus nominatur (aquoſus ac tenuis Galeno) ut ipſum primarium humectaret, arceretq; ab eo aëris nos ambientis noxas: atque prohiberet, ne contactu uueæ (rhagoides Græcis) læderetur. Quæ uerò tunica coniunctura (quam adnatam alij appellant) fortis ac ualida, ut à duritie nerui defenderet oculum, condita eſt: ligamentum & ipſa exiſtens toti oculo ad oſſa circumiacentia: cuius alij quoque uſus mox explicabũtur. Porrò quę ſecũda dicitur (Galeno choroides) alit reticularem (amphibliſtroides Græcis) per uenas, quæ per ipſam feruntur: illi quoque ſuppeditat calorem per arterias, quæ in ipſa ſunt. At retiformis ſpiritum præſtat uiſorium per neruos qui in ea diffuſi ſunt: hoc eſt, naturalem caliditatem. Iam autem & chryſtalloidi aduehit, & defert nutrimentum roridum: atque calorem fouet ob arterias, quæ in ipſa ſunt. Galenus illã quæ telis aranearũ perſimilis eſt (arachnoides Greçis) lucidiſsimã, ſplendidiſsimamq; cenſet: quo

ſet:quoniam idola formæq́ in ea imprimuntur: unde uiſus proprium eſſe inſtrumentum per ſe,uel intercedente chryſtalloide. Vueæ,rhagoidiś ue uſus triplex:primus ut ceratoidi alimentum ſuggerat,atque ideo uenis plena: Alter ut à duritate ceratoidis chryſtalloidem tutam reddat, ob id mollior facta:item ne ſpiritus uiſorius diſſiparetur diſpergereturq́,nigra: quippe nigrum cogit:atque etiam media parte qua pupilla eſt modico foramine concaua:quod foramẽtum iccirco factum eſt,ut foret chryſtalloidis arachnoidiś ue,aut utriuſque forma ſenſilium. Nempe (ſicuti bene noſti) non fit extrà mittendo uiſus:oculus etenim admittit colores per ſplendidas ſuas partes,ac lucidas, eo pacto quo ſpeculum,qui mox ubi admiſsi impreſsiq́ ſunt,à uiſorio ſpiritu comprehenduntur: quod nos ſex ualidis argumentis diſcuſsimus in commẽtario de ſenſu & ſenſili. Quare ſi pars quæpiam oculi idonea eſt,& apta propter ſuum eximium ſplendorem ad colorum impreſsionem, erit profectò proprium uiſionis inſtrumentum. Ceratoides ut propugnaculum foret aquei illius humoris (quem album uocitant) conſtituta,atque item ſubtilis pariter,& ſplendida,ne chryſtalloidi impedimento ſit ad formas recipiendas, ſimul ne uiſio ab extrorſum occurrentibus aliquando lædatur. Ad hæc adnata tunica ſecum mouet muſculum oculum mouentem. Hactenus de partium oculi uſibus,ex Galeno:qui maxima ex parte (ut patet) à coniectura proficiſcuntur: partes uerò omnes ſic tantum inſtitutæ,ut oculus colores ſuſcipiat.

De *auditorijs ſenſibus, ac partibus.* CAP. XVI.

NVnc de aure,auditionis quidem inſtrumento, nonnihil diſſerendum: Eſt igitur quod ſenſum gignit auditorium,neruus qui à cerebro ad ipſam deriuatur, ut foramenti auris ſit operimentum, ambagioſis autem anfractibus,obliquisq́ circumuolutionibus prędítæ aures,ut frigidi ſpiritus rationem ac uiolentiam exoluerent, paulatim

obliquationis uarietate. Atque etiam (quod eſt commodius) ne ualidæ uoces, ſoníue graues tam facilè læſionem inferrent, fuerunt quoque chartilaginoſæ, ut unà cum figura huiuſmodi ad uoces percipiendas aptiſsimæ forent. Cætera uerò animantia aliter conſtructas obtinent, plusq; iis prominent, ac maiores ſunt, ut eas circunducere & obuertere ſemper ſonis, ac uocibus poſsint: quare rationabiliter homini non mouentur, illis autem crebrò mouentur.

De olfactorijs inſtrumentis. CAP. XVII.

OLfactus inſtrumentum naſus eſt: qui ſenſus in his quę odoratu prædita ſunt animantibus attractione, ſpiratione´ue: in his uerò quæ huius ſunt expertia, minimè fit. Id genus ſunt apes, muſcæ, & alia inſecta. Ariſtoteles hunc efficí in naſi duobus meatibus, hoc eſt, naribus cenſuit: at Galenus in duobus illis meatibus oſsium, quæ ethmoidæa Græcis appellantur, ob quorum remotiorem ſitum ſpiratione animans indiguiſſe ad olfaciendum: quæ opinio à ueritate aliena eſt: alioquí naribus obſtructis odoraremus, ubi aërem ore inſpiraremus, attraheremusq; nempe foramentum palato ineſt his proximum. Quamobrem Auenzoarus non ineptè ſcripſit, nos poſſe odores percipere eduliorum, dum in uentre concoquuntur, ſi Galeno aſtipulemur: quinetiam quæ illis oſsium meatibus carent animalia, haudquaquam olfacerent: porrò attractionem olfactui donatam ob duarum cauſſarum alteram meminiſſe te uelim, aut ut melius ſcílicet eligerent: aut propter huius ſenſus in his quæ odorant animantibus craſsitudinem, atque hebetudinem. Fieri nanq; poteſt ab odoratis & olfactílibus quæ tenuioris ſunt eſſentiæ, uaporem ad ſenſorium impelli. Verumenimuero quia olfactus, aut trahendo, aut impellendo efficitur, uapor ab olfactíbili pellendo aërem foras haudquaquam aſcendet: qui poteſt trahendo id facere: aër nanque odoratorum attrahendo quàm fundẽdo magis ſentitur ac percipitur: quod ex eo liquet, cùm quippiam olfacere uolumus, nos etiam in attra

attractionem incumbimus,quæ ſanè huius gratia inſtituta fuit.Quæ igitur animantia trahendo odorant,olfactus ſenſorio exquiſitiori prædita ſint,oportet, quàm quæ contrà. Id uerò in formicis apibuſq; ſpectatur:præterea in his quæ odorant animalibus paucus,uel penè nullus odor ſentiſcitur citra attractionem,propter imbecillitatem atque hebetudinem ſenſus.Equidem homo multis animantibus odoratum obtuſiorem obtinet,quæ præcipuè ſagacitate odorandi uictum uenantur,quòd prouidentia quadam diuina ac præſcientia fieri prouerbiorum libri teſtantur.

De *partibus, à quibus motus efficitur uoluntarius.* CAP. XVIII.

FAcultas quæ motum animantibus præſtat imaginatrix eſt,æſtimatrix´ue,quam appetitrix,atque concupiſcibilis præceſſerunt:deinde firmata deliberatio, ſimul & ratio, ob præſentiam illius,quod eſt imaginatione æſtimatione´ue complexum:ſicuti in commẽtario de anima explicauimus. Inſtrumenta uerò huius potẽtiæ quot ſint,quibus ſuas functiones peragat,exploranda ſunt. Primò igitur motionem uoluntariam in propriam atque communem ſecabimus: Hæc erit,qua ſecus locum (delatio dicitur) mouetur animal:illa uerò cutis quę in fronte eſt,oculorum,maxillarum, primarum naſi,labri,linguæ,epiglottidis,capitis. Ceruicis, humerorum,cubiti,radij,digitorum, articulorum, thoracis quando reſpirat, ueſicæ ubi clauditur, colis,inteſtini recti ubi excrementa retinentur,peritonei,coxarum,crurum,teſtium,denique pedum, & eorum digitorum. Hæ quidem ſunt partes,quæ uoluntario motu agitantur. Verum unde fiant motiones iſtæ perſcrutandum: nam à pluribus quàm ab uno efficiuntur.Exempli gratia: manus à tendone motum habet,tendo à muſculo,muſculus ex ſeipſo,iſq; primò mouet,nec ab alio motionem obtinet:conſtat nanque omne quod mouet ab alio moueri:iccirco ea quorum unum aliud mouet,tandem ad id ueniant neceſſe eſt,ut à neſcio qua po-

tentia motrice motum habeāt,& non ab alio corpore:principium ergo huic ineſt aliud,uti in naturali philoſophia diffuſè explicauimus:id ſi non admittamus,negocium ad infinitum dilabetur.Motionis igitur initium in ipſo muſculo. Quamobrem medici qui à neruo muſculis motum præſtari cenſent,abſurdè faciunt:quippe neruus aut ex ſe,aut ab alio principio,quod illi adeſſet,motionem præberet.Aliàs uerò docuimus,quodlibet mobile motorem habere,qui denique ſi corporis expers non ſit,minime mouebit, niſi idem moueatur:quòd ſi à corporeo motio emanaret, res in infinitū caderet, quare hic eſſe neceſſariò oportet quod moueat, nec moueatur,atque ſit corporis expers.Hoc eſt argumentum unum,quo patet id quod primò animal mouet,nō eſſe corporeum,ſed animæ potentiam,quæ ſita ſit in muſculo neceſſario.Eſtq; facultas quæ ab uoluntatis imperio pendet,quam tum imaginatrix, æſtimatrix ue, tum deliberationis certitudo præcedunt. Prætereà cùm id quod mouet, ſit corporis expers,ſequetur neceſſariò,quod primò ab ipſo mouebitur corporeum eſſe,& tanquam materiam:illud uerò formam:fieri etenim haud poteſt, quod primum mouet in animante ſine materia conſiſtere. Quale igitur erit corpus huiuſmodi:nempe calor naturalis,qui in nobis eſt:partes etenim refrigeratæ motiones deperdunt: calorem quidem illum natiuum in talium functionum definitione complecti nemo neſcit:qui differentias proprias in ſingulis partibus pro functionum natura ſortitur: euidentiores uerò ſunt in nutriendi facultate, quod ab omnibus admittitur, approbaturq;.At Galenus ſedem huius caliditatis in cerebro eſſe prodidit literis: quæ per neruos in uniuerſum deferatur corpus. Ariſtoteles contrà in corde ſitam cenſuit, cerebrumq; eadem ratione illi famulari, qua nuper dicebamus in ſenſuum functionibus.Cor igitur caloris principiū atque fons.Quare in timore calor homini ad cor confugit recurritq;,ob idq; crura tremunt, interdumq; homo ſternitur,moueriq; non poteſt. Vnde uis illa prima gubernatrix

in haq;

in hac motione,& id quo caloris modum ac menſuram temperat ac moderatur,à corde proficiſcuntur. Galenus præterea cæteriq; omneis medici uim illam uoluntariam in corde fatentur poſitam,unde animantia tantum à uoluntatis impetu mouebuntur,& cor principium erit, quod à cerebro temperabitur:parum uerò intereſt id genus temperamenti aut per neruum perfici,aut per ſpiritum animalem in ipſum defluentem,quem ſpiritum in nullis neruis, exceptis uiſoriſs (opticos uocant) Galenus manifeſtè conſpici negat. Cęterum quòd primario à calore illo naturali motum habet, muſculus eſt,ob quandam ſimilitudinem, quæ illi eſt cum calore:cõponitur etenim ex carne ſimplici & neruis,à quibus tendones exoriuntur. Neruus quidem ſolus natura frigidus eſt,nullius caloris particeps. Quinetiam uena immerito principium huius motionis nominaretur,quæ à uiſcere non primo,ortum trahat:quod item argumento alio indicari poteſt,ſcilicet quòd alimentũ ſuggerens pars quieſcere quàm moueri debeat. Arteria item non erit:ab ipſa nanque agitationes pulſuum, omnino diſſimiles motui, qui à uoluntatis imperio prodit, & penè contrariæ efficiuntur: quorum diuerſitas,ac contrarietas,haud ſecus quàm uelle, ac nolle ſimul exiſtit. Muſculum igitur fontem & initium motionis caloris natiui dicemus. Quamobrem partes oſsiũ expertes,non duplices,& exiguæ,à muſculis,nullo intercedente,accipiunt motionem:duplices uerò in ramos diuaricatæ tendonum ope,qui ab extremo ipſarum fini enaſcuntur,motum habent:ob id cum cogitur contrahiturq; pars una ex his,tendones illi uelluntur,atque ob uinculum,quo cum oſsis extremo ligatur,os iſtud motu illius mouebitur. Atque etiam pars quæ mutuò contrarios motus obtinet, duobus quoque oſsibus uel muſculis conſtabit,quæ diuerſum quoque inuicem locum ſortientur,quorum quodlibet ſuo tempore trahit, prohibetq; ne à ſuo contrario eodem momento motus efficiatur:quod ſi utrunque ſimul ageret, pars equidem modo uno,ęquabiliq; uelletur. Exempli gratia:ſi

tia: Si muſculus, qui in externa manus parte ſitus eſt, trahat, in illam partem declinabit: ſi uerò qui in interna, ad hanc uertetur: quando autem utrunque agit, manus neque introrſum, neque extrorſum inclinabit. Iam uerò de muſculorum numero diſſeramus, quos Galenus DXXIX. in corpore hominis prodidit: faciei quidem XLV. quorum XXIIII. oculos atque palpebras mouent: maxillam inferiorem XVII. reliquum faciei nouem: in hisq; ſub frontis cute deliteſcunt nonnulli, oculorum apertioni magnopere conferentes. Sunt item duo naſi extremum mouentes: duo qui labrum ſurſum, aliꝫ duo qui deorſum trahunt: duo prætereà qui maxillam. Capitis atque ceruicis XXIIII. quorum aliꝫ illuc, ubi eorum eſt poſitura, trahunt: aliꝫ caput ceruicemq; ſimul: horumq; aliꝫ ſurſum, aliꝫ antrorſum, quidam retrorſum, aliꝫ dextrorſum, quidam ſiniſtrorſum. Linguam mouentes nouem ſunt: ceruicis uerò atque epiglottidis gratia XXXII. Humerorum ſingulorum ſeptem: utriuſque partis brachiꝫ XIII. quatuor ſupra cubitum: intus duo, quibus ad internam manus partem flectitur: duo foris, qui extrorſum, hoc eſt, internam partem. Brachiorum quodlibet XXXVII. obtinet: quorum aliꝫ extra, ſeptem uerò intus poſiti. Manus item XXXVI. habent, quælibet XVIII. qui ad externa internaq; mouent, & ad motum pollicis, minimi digiti, atque uolæ. Thoracis denique CVII. quorum aliꝫ relaxant, aliꝫ extendunt. Vertebrarum XLVIII. in uentre ſub thoracis oſſe ad umbilicū octo perueniunt: quorum aliꝫ recti, atque in longitudinem ſeſe agunt, quidam in latitudinem extenduntur, nonnulli per tranſuerſum deferuntur, qui aliꝫs & laxandi & tenſionis uim cæteris ſuppeditāt. Teſticulis inſunt quatuor: coli item quatuor. At in ceruice ueſicæ muſculus eſt, qui arcet, ne nobis inuitis reddatur urina. Prætereà in recti inteſtini extremo quatuor appoſiti, ne uidelicet importune excrementa diſciantur. Coxæ, ac crura XLVI. conſtant: pedes uerò XXVIII. ad motionem indiguerunt, atque eorum artículi

culi quidam: nam cæteri digiti pedum XXII. habent. Cæterum musculorum omnium motus, aut à caliditate innata, & communi: aut à calore, qui unicuique adest musculo, prodit. Cum itaque ita sit comparatum, ut pars nulla motionem obtineat præterquàm à naturali calido, quod est instar formæ: uel à calore, qui musculo est insitus: hic uerò ab animæ principio: id iccirco quid sit, unde, & ubi scrutari debemus: facultas equidem, quæ motum secus locum præbet, anima est. Atqui motio huiusce modi partium singularum à potentia uoluntaria inserta membro communi particulæ quæ ex se moueatur, proficiscitur: atque etiam à ui propria, à uoluntatis imperio prodeunte, quæ innata est partibus quibusdam particularibus, quæ per se motum obtinent. Hæ uerò sunt musculi. Nunc uerò sensui satis superq; usurpatur nullam in animante partem (excepto corde) communem toti corpori quæ per se moueatur. Quare potestas communis, quæ à uoluntate est, in corde, hoc est, eius musculo, sedem habebit: atque ea quæ uoluntaria particularis nominatur, in quolibet musculo continebitur. Quinetiam motio communis animantium, uitalis respiratio appellata, cor pro fonte obtinet, cuius propè dixerim germana est ea quæ per arterias fit agitatio, quę dum quiescit animal, obscurior est. Cerebrum igitur neruosq;, ut calorem, qui est scaturigo motricis facultatis uoluntariæ tum communis, tum propriæ, temperarent, natura condidit. Ad hęc id te scire uelim, motionem, quæ à uoluntatis arbitrio pendet, citra musculum posse fieri: idq; à caliditate innata, aut eo ipso, quod illi proportionatur in exanguibus musculorum expertibus, præstari: equidem in animantibus perfectis solum musculi spectantur. Quamobrem Galenus uix potuit musculos linguam extrorsum mouentes tradere: quinetiam nec motum colis, penisue, intenti in coitu: id uerò in caussa fuit, quòd motum omnino citra musculum non posse consistere sibi persuaserat: uerum à ueritate alienus est.

De *respirationis usu, atque eius instrumentis.*

CAP. XIX.

PRoximum est, ut de respiratione, partibusq; à quibus efficitur differamus. Hanc Galenus à uoluntatis impetu prodire existimauit: quoniam cerebri auxilio is motus peragatur: itemq; neruis inesse motionem uoluntariam: quod quàm sit à ueritate remotum, nuper cùm de motibus ageremus, copiosè ostensum est. Quamobrem affectus qui motioni contingunt primario, ac per se musculis assignabimus: per consensum uerò ac colligantiam cerebro ac neruis: atque curationem primò & remedia musculis adhibebit: deinde ad cerebrum neruosq; uertetur medicationis scopus. Respirationi autem partes deseruientes, Septum transuersum, pulmones, aspera arteria, epiglottis, columella: quorum usus prius non explicabimus, quàm spirationis utilitatem exactè discusserimus. Hanc Galenus alijq; omnes medicinæ professores, duos usus obtinere, literis mandauerunt: unum, ut cordis naturalem caliditatem aëris nos ambientis algidi ingressu refrigeraret, atque excrementa fumida caliginosaq; à calore natiuo dissipata diuaporataq; expelleret: quem animātibus calidioribus, ac sanguine præditis, eximiè necessarium constat: his uerò qui tum caloris, tum sanguinis sunt expertia, haudquaquam: quippe non est dubium arteriarum pulsum in his respirationis uicem implere. Alterum deinceps, ut aëre respirato, id quod de spiritu defluxit, instauretur, alanturq; uires internæ. Verùm absurdum, falsumq; id deprehenditur: compositum nanque nullum à simplici alitur: alioqui animans ex elemento uno conflatum reperiretur: quod penitus à Galeno reijcitur, qui ob id aquam non nutrire asserit. Cæterum cui potentiarum animæ spirationis munus ascribatur, accuratè consyderemus. Galenus à motione à uoluntatis impetu prodeunte perfici testatur, ob id, quòd integrum sit nobis spirare, ac nō spirare: quodq; neruus huius sit proprium, ac primariū instrumētum. Quare dissecto cuipiam neruo, qui septo transuerso motum suggerit, is profectò diutius non uiuet,

quàm qui ſtrangulatur. Verumenimuero Galeni opinio duobus argumentis refelli poteſt: primo, quia dormientes ſpiramus: uoluntaria autem motio cogitatione ac deliberatione fit: hæ autem in ſomno functiones non peraguntur: poſtremò, quoniam ſpiratio quæ intempeſtiua eſt, ac præpoſtera, arteriarum pulſui reſpondet, quare Hippocrates hanc crebrò pro pulſibus uſurpat, quoties uidelicet partes reſpirationi addictæ minimè affectæ ſunt: quinetiam cordis temperaturam æquè atque arterias indicare docuit. Quidam præterea philoſophi ex uoluntaria, atque non uoluntaria facultate, hoc eſt, naturali, animaliq; reſpirationem conſtitui cenſuerunt, idq; in non paucis animantis partibus ſpectatur, ut in motu palpebrarum oculi, ac deglutitionis, quas ſanè compoſitas eſſe conſtat, unde imbecillioribus effectis, cadit quoque, ac debilitatur deglutitio, haud ſecus atque appetentia: quæ quidem ſententia præſtantior eſſe uidetur: quanquàm quis obijciat, illum prudentius ac doctius ſentire, qui naturalem eam tantum aſſerit facultatem, ob hoc ſcilicet, quòd dum ſani degimus, dumq; morbis laboramus, crebrò citra deliberationem reſpiramus, cordis temperaturam prodentes: quinetiam ſuſpiria multa fiunt. Ad hæc ubi reſpirandi munere neceſſario indigemus, ſpirationem ſiſtere, ac compeſcere, integrum nobis minime erit, quemadmodum nec tuſsim, aliaq; id genus. Natura iccirco hanc uoluntariam functionem molita eſt, ut auxilio eſſet naturali potentiæ, quando uidelicet cordi ſatisfacere non ualet. Præterea Galeni probatio, qua illā omnino à uoluntatis arbitrio pẽdere docet, eſt huiuſmodi, quòd ſcilicet diſſecto neruo functiones harum facultatum, id eſt, motuum uoluntariorum, aboleri aſſerit: quæ mehercle ratiocinatio à ueritate aliena eſt, tum in principijs, tum in figura. Nempe quando prędicatum rei quæ à ſubiecto data eſt, aufertur, nõ debet ſemper auferri prædicatum ab illa, à qua eſt ablatum ſubiectum: alioqui repugnantiam antecedentis oppoſiti in tota materia unà cum repugnantia oppoſiti conſequentis

tutari ac defendere oportet. Hoc autem teſtatiſsimum facit, quantum in dialecticis Galenus claudicauerit: quippe ſi ablato neruo, ſecto ue, quæpiam quoque auferatur motio, illud tamen neceſſariò non ſequetur, neruo illo exiſtente motus gratia, quòd neruo propriam motionis cauſſam acceptam feramus. Atqui ſi quiſpiam uenas carotidas, neruosq; ſoporiferos, qui ad cerebrum pertingunt uulneratos habuerit, ſtatim omni functione uolũtaria deſtituetur, unde particulę illæ appellationem nactæ ſunt. Quare Raſius memoriæ dedit, regem Indiæ ubi in quempiam nobili genere clarum, animaduertere uellet, ſectionẽ harum partium imperaſſe: quod animaduerſionis genus ac ſupplicij mortem adferebat. Quis autem ſanæ mentis illic omneis motiones uoluntarias propterea inſertas dicet? Porrò nihil actionem huiuſmodi in neruo efficit, quàm id quod talem potentiam complere, atque perficere poteſt: quo affecto afficiatur quoque actio neceſſe eſt, etſi huius propria nõ ſit cauſſa: quandoquidem uitiatur, deperditurq; propria functio, abolita facultate, quæ illuc defluebat, ac tranſmittebatur: quamobrẽ uoluntarij motus deperditio non teſtatur motum quemlibet in neruorum eſſentia uoluntarium adeſſe: qui tamen per accidens poteſt à uoluntate prodire. Quòd ſi obſtinatè repugnas, uoluntarium penitus affirmando, nihil propterea promoues: quippe muſculorum erit, non neruorum. Verumenimuero ad partium ſpirationi famulantium uſus accedamus, quandoquidem de ipſa abunde diſputauimus. Pulmo igitur ſpirationis officio delegatus, aditum ſpiritui patefacit: cùm enim attollitur, influit ſpiritus: cùm contrahitur, effluit: unde inſtrumentum reſpirationis proprium eſſe in confeſſo eſt. Verum hic ſubtilitate ingenij conſyderandum erit, nunquid reſpirationis exſpirationisq; motio thoracem ſequatur, nec priuatum motũ aliquem obtineat: an uerò ſit thoracis motus ſpirando quem pulmones ſequantur tanquam auxilium afferentem. Galenus pulmonem priuatim nullum motum habere ſcriptum reliquit, ſed

unà

unà cum thorace attolli, agitariq́; : quinimo ſpirationem, quæ naturalem motionem ſequitur, à ſepto tranſuerſo fieri: eſt autem id muſculoſum quippiam, atque carnoſum, inferna à ſupernis dirimens: hoc eſt, partes nobiliores ab ignobilioribus diſtinguens, ac ſeparans. Dilatato itaque thorace, aëre impletur pulmo. Exiſtimare autem oportet huius conſtitutionem ſimilem eſſe follibus qui in ferrariis habentur: quod tibi manifeſtius fiet, ſi uulnerato thorace, ac confoſſo, aër introrumpat: quieſcit etenim protinus pulmo, interitq́; eius motio: idq́; fortè ob refrigeratos pulmones. Ariſtoteles (cincturam uocat) ſepti tranſuerſi nullam aliam utilitatem ſcripto reliquit, quàm ut ſepararentur inter ſe partes principes, ac nobiliores, à nutritoriis & ignobilioribus: ut uidelicet animæ principis origo inoffenſa ſeruetur, nec facilè occupetur exhalatione cibi, & caloris aduentitij copia. Atqui tantus philoſophus calumnia dignus non eſt, neque imperitiæ crimine notandus: quandoquidem quæ arte ſecandi corpora diſcuntur, haud abſimilia ſunt his, quæ numero motionum circulorum comprehenduntur. Ars uerò anatomices ætate Ariſtotelis planè haudquaquam erat abſoluta. Porrò Galenus, cuius ſeculo medicina omnibus numeris (ut dicitur) perfecta erat, ſcripſit. Erunt (inquit) poſterorum qui in medicina quædam à nobis non inuenta, neque cognita in lucém emittent. Quamobrem non tam crebrò (ut multi cenſent) Galenus Ariſtoteli refragatur, quin potius illius inuentis aliquid adijcere, atque implere nititur: cuiuſmodi ſunt, quæ de ſepto, de motu neruorum, de ſenſu & motu, de cordis ac cerebri principatu: quæ nanq́; ille de particularibus diſſerit, haudquaquam in uniuerſalibus huic reluctantur. Verum ad id, unde noſtra digreſſa eſt oratio redeamus. Galeni igitur de pulmonibus ſententia diligenter perpendenda: quippe nullo alio argumento, ratione ue probare ſtudet, dilatato thorace pulmonem quoque attolli, quàm quòd eodem quieſcente, pulmones quieſcant, intereatq́; animal. Nos uerò non adeò abſolutè ac ſimplici-

ter pronunciandum cenſemus, thoracem uidelicet præcipuam motionũ pulmonis cauſſam eſſe: fieri etenim poteſt, ut pars utraque priuatim moueatur, habeantq; mutuum quendam conſenſum, ac proprium, ut alterum abſq; altero minime moueatur, ob id uno quieſcente, alterum quoque ceſſet, atque neutrum alteri cauſſam motionis ſuggerat, prębeatq;. Quòd ſi aſſereremus, pulmone nõ moto, nec thoracem moueri, quæ eſt Galeni opinio: nos mehercle cenſeremus pulmones thoraci motum ſuppeditare. Quare uidetur Galenus ſenſiſſe thoracem ac pulmonem ſimul poſſe moueri, ac ſi in ſphęra, globo ue forent: immotoq; altero exiſtente alterum quoque minime agitari: quamuis (uti retro diximus) unum alterius non ſit motor: porrò id quoq; uſuuenire poteſt, quòd diſſecto thoracis neruo affectus ad pulmones per conſenſum pertingat, quo modo Galenus multas ęgrotare partes literis prodidit. Nunc igitur thoracem dilatatum pulmonis motionem adiutare, eadem indicatione dicendum, potiſsimum, ubi uehementiori indiguerimus reſpiratione. Verumenimuero ut in pauca rem conferamus, Cor eſt quod abolita reſpiratione exſpirationeq; afficitur, ob idq; animalis interitus contingit. Hinc neceſſariò ab ipſo ſpirationem emanare ingenuè fatebimur. Cæterum pulmonis agitatio (ut ſentit Galenus) uiolenta eſt, eadem ratione ac ui, qua ſunt, quæ ab arte machinata, agitantur. Mouetur id uiſcus modo quo naturalia, atque bifariam, nanque tum ab electione, tum à natura. Atqui duos in motu principes collocare non erit abſurdum: muſculum motionis ab arbitrio uoluntatis prodeuntis: cor ac pulmonem huius quæ à natura eſt. Galenus hîc eadem methodo nixus eſt, qua in cæteris ſuis indicationibus conſueuit. Haud enim aliunde motum pulmoni, quàm à neruo adeſſe putat, quanquàm per artem diſſectionis corporum nullus ad id uiſcus deriuari neruus ſpectetur, quo ſentiat, nedum motum obtineat. Verum ingenij noſtri hebetudo fortè obſtat, quo minus ueritatem perſpiciamus, horum uidelicet quæ in hoc commen

commentario à nobis conſiderantur: attamen ut tempus fert, atque ſuadet, ociumq; permittit, in hoc negocium toti incumbimus: aliquando uerò iſta futura ſunt exploratiora. Pulmo in duas fibras diducitur, ut ſi fortè una aliquando afficeretur, altera uicem eius ſuppleret: quemadmodum in thoracis uulneribus uidere eſt, in quibus ſi fibra altera læ-datur, ſpirationi alteram deſeruire neceſſe eſt: quippe utraq; affecta animali interitum affert. Sequitur ut de aſpera arteria (quæ nonnullis ſpiritalis fiſtula dicitur) nonnihil diſſeramus: quæ ſpiritus cauſſa data eſt: hac enim ſpiritum trahimus, reddimusq; reſpirando, expirandoq;: ſed nec ſolum ſpirandi cauſſa, ſed etiam uocis: quare natura emolita eſt particulam quandam in eius ſummitate, quæ munus efficiendæ uocis contineat, minoris linguæ formam referentem: deinde à muſculo quippiam ei aduenit, quod uariè arteriam afficiat, & ob id uariæ gignantur uoces: ſed is quidem uſus minimè neceſſarius, uerùm ut melius ac felicius uitæ curriculum tranſigeremus: idq; in alijs quoque partibus prudens natura inſtituit, quæ non unius tantum gratia, uerum etiam plurium conditæ fuerunt: quippe nares tum ut odoraremus, tum ut cerebri excrementa expurgaremus: illud ad ſenſoriam facultatem, hoc ad propulſoriam referendum. Vua (columella alijs nominata) facit ne puluis, fumusq;, & id genus multa, ad ſpiritalem fiſtulam non irrumpant: Quinetiam ſpiritum primum temperat, ne tam frigidus, ac inconcoctus ad ſpirationis inſtrumenta deſcendat, quæ diſſecta, diſtillationibus obnoxium reddit hominem, refrigerando parteis omneis ſpiritales, uociq; gratiam adimit, nam & hæc ad hanc functionem neceſſaria. Epiglottidem uocis particulam eſſe non eſt dubium, quoniam ubi in arteriam animantis ualidè inſufflamus, uox redditur, haud abſimilis illi, quam dum uiueret, ſonabat. Huic etiam aliud operimentum annexum: ne in arteriam cibus, aliud ue deerrans, animal ſtrangulet: nanque crebrò uidemus, dum aliquid

aliquid in ipſam dilabitur,tuſſes ſtatim excitari.Sed de ſpiratione eiuſq; inſtrumentis dictum iam eſt.

De *cerebro*, *eiuſq; partibus*, *ac functionibus*. CAP. XX.

QVanquàm imaginatio,cogitatio, recordatio, conſeruatioq;,neque partes,neque membra ſint,habent nihilo minus in cerebro ſedes, in quibus earum functiones ſint euidentiores.Phantaſia igitur, ſiue imaginatio in cerebri anteriori parte ſita eſt,quæ rerum ſpecies, poſtquàm à ſenſu communi relictæ ſunt,concipit,ac retinet. Cogitatio uerò manifeſtior eſt in medio cerebri ſinu ſpecu´ue:hic quas aſſertiones, & conſilia uocamus, fieri traduntur:diſcernimusq; quid in his nobis ſit eligendum,uitandumq;: hic intellecta recognoſcuntur:quare in animantium genere homini ſoli tributa eſt: bruta uerò iſtius loco æſtimatricem uim obtinent:in poſteriori cerebro cauerna ampliori uis illa reminiſcentiæ ſedem habet,atque etiam conſeruatrix potentia:quæ in nullo alio inter ſe diſcrepant,quàm quòd recordatio per interualla fit,conſeruatio uerò aſſidua eſt. Verùm ab imaginatione quoque differunt,quòd hæc formam exhibet ſenſilis,uel ſenſibus priuata:illæ uerò ad cuſtodiam & refricationem rei conceptæ,magisq; ad intellectum,prudentiam´ue referendæ,quàm phantaſia. Atque illud meminiſſe oportet,quòd etſi in uentriculis cerebri harum potentiarum functiones peraguntur:tamen à corde, tanquam omnium principio prouenire, ſedesq; tantum in cerebro tanquam inſtrumento obtinere:quare quemadmodum uiſoria facultas in cryſtalloide ſita eſſe fertur,cùm tamen ſit in corde uel cerebro,ſic uirtutes iſtæ,harumq; ſedium utilitas ad temperandum eas inſtituta eſt,eo modo, quo cerebrum diximus opem ferre alijs conceptionibus,atque apprehenſionibus.Alia igitur probatione non indigemus, quàm ea qua ſuperiora diſcuſsimus, quæ eſt huiuſmodi, facultates nihil agere citra calorem natiuum,qui ad ipſas non peruenit,niſi

nit, niſi cum quadam moderatione, ac menſura: uisq; illa quæ tranſmittit, temperatq; calidum naturale, in corde poſita eſt tanquam fonte ac principio. Ad hæc imaginatricis functio teſtatur ſenſilium aliquid in ſenſu communi hęrere, cuius ſedem in corde libro de anima ſcripſimus: atque ideo illa quoque principium cor habebit, quæ unà cum facultate motrice uoluntaria, animanti motionem ſuggerit, quam in corde habitare nuper diximus. Prætereà ubi imaginatio, illic quoque cogitatio collocabitur, qua ab imaginatione concepta componimus, reſoluimusq;. Hanc etiam neceſſariò conſequuntur recordatrix, atq; conſeruatrix facultates, utpote propter ipſam inſtitutæ. Cæterum ubi affici has ipſas potẽtias cerebri ipſius uentriculis affectis conſpiciemus, nõ erit ſtatim ferendum iudicium, fontem ipſarum ſolum eſſe cerebrum: haud aliter quàm affecto cryſtalloide uiſionem uitiari cernens, nihilo minus ipſum uiſoriæ facultatis primariam eſſe ſcaturiginem. Nam & ſepto tranſuerſo affecto, nuper dictas potentias lædi ſpectamus: non tamen ſanæ mentis homo harum ſedem in hac parte putauerit: Cerebri etenim uentriculi harum gratia conditi à natura, quorum temperatura functiones ipſarum conficit. Atqui retro ſcriptæ uirtutes in duobus prioribus cerebri ſpecubus euidentiores ſunt: à quibus per uiam, tramitem ue qui inter ipſos conſiſtit deferuntur: in qua uia meatu ue quædã corpuſcula conſtituta ſunt, quæ dum calorem internum ad cerebri ſinus ingredi oportet, aperiri creduntur, claudiq;, ubi ſubierit. Horum uerò mentionem fecimus in commẽtario anatomices. Cerebro humido molliq; conſtituto, ſuper impoſitum eſt os, quod calua nominatur, pro tutela ac munimento: duæ item membranæ (quarũ altera tenuis atq; imbecilla: altera craſſa ac ualida) cerebrũ uallant ac ueſtiunt. Quinetiã globoſa, ut quæ ſit omnium figurarum tum perfectiſsima, rotunda, atque ſphærica: tum capaciſsima, tum ab incommodo & læſione remotiſsima. Prætereà ſedem eminentiorem in animãtibus perfectis cerebrum obtinuit ſenſuum

gratia, qui custodes totius corporis (teste Galeno) sunt: quod etiam in rebus externis usuuenit, quippe qui custodiæ excubijs ue præsunt in arce sublimioriq; loco collocantur.

De somno. CAP. XXI.

PRoximum ab his partium usibus, quos diximus, est, ut de quibusdam, quæ ad sanitatem conferant disseramus, initio quidem sumpto à somno: de quo primùm quid sit, & cui parti creditus: tum quæ eius sit caussa consyderemus oportet. Est quippe animantium generi apprime necessarius, atque utilis, sub quo homo quoque continetur, qui somno destitutus uitę non exiguam iacturam facit. Somnus igitur (mea quidem sententia) nexus quidam & quies sensuum, atque eorundem recursus recessusq; à suis instrumẽtis ad intima: idq; somno sepulti, dormientesq; aperte testantur, qui sensilia, etsi proxima, minimè percipiunt: tum qui patentibus oculis dormitant, nequaquam uident: atqui si facultas uisoria instrumentis adesset, continuò hi quoque uiderent. Verumenimuero id non tantum in soporatis conspicimus, uerumetiam in his qui studiossimè, attentissimeq; in aliquam rem incumbunt: etenim non pauca sensilia prætereuntia non animaduertunt. Cum itaque somnus tantum sit sensuum ad intima recessus: sensus uerò haudquaquam moueri possunt illa, quæ per uniuersum corpus fit, motione, absque auxilio alterius, quod illis materiæ loco adsit, erit uerò id calidum naturale: quare somnum esse coitum quendam caloris ad intima refugientis asserimus. Quinetiam partes extimæ refrigeratæ somno pressi hominis huius testimonium locupletissimum exhibent. Atque item concoctio, quæ in dormitantibus ualidior consistit: nempe calidum id, quod in uigilantibus functiones concinnat (præbet etenim motum sensumq; extimis) in somno sopitis ad ima subterfugit: illud uero à corde tantum animantium partibus transmittitur, ad quod ceu ad fontem

atque

atque principium in ſomno refluat atq; reuertatur,neceſſe eſt:quemadmodum in motu conſyderatur,quem ad id,unde incepit redire oportet:quale in deo ſpectamus,à quo omnia dimanant, & ad quem cuncta reuolant. Poſtquàm igitur explicauimus ſomnum, ſenſus quietem, ociumq; ſuarum functionum,atque intermiſsionem,quæ à caliditatis ſubterfugientis receſſu conſit:proximum eſt, ut ſcrutemur, quæ ſit cauſſa huiuſce confugij in ſomno ſopitis:quod in primis coctionem adiutat. Caloris equidem ad extima ſparſio à quantitate,non à qualitate eiuſdem inaucta prouenit:at coactio quantitatis imminutio eſt,idq; contingit, quoniam à frigiditate humiditateq; ſuperatur.Somnus ergo calore interno refrigerato,atque humectato fiet:tunc nanque copia minuitur calidi,dum ad ſuum fontem recurrit. Prætereà cum cerebri uſus ſit,ut cordis caliditatem,ſiccitatemq; moderaretur,neceſſe cor ab illo maiorem huius functionis cumulum conſequi,atque alimentum cordi tranſmiſſum refrigerari humectariq;:proinde rigationibus quæ uim frigidam humidamq; obtinent,perfundimus capita uigilijs affectorum creberrimè:etenim cerebri conſenſu,cor quoque affici conſpicimus.Quamobrem qui à ſolo cerebro ſomnum effici putauerunt,grauiſsime lapſi ſunt.Ad hæc argumentum à frigiditate humiditateq; ſomnum conciliari tale eſt, quòd alimenta pleraq; omnia ſoporem appellantia ui frigida humidaq; prædita ſunt,cuiuſmodi lactuca,& id genus:at uigilias accerſentia calida,ſiccaq;. Somni autem cauſſa,quæ à materia nomen habet,uapor eſt humectus ab infernis, intimisq;,ad cerebrum elatus,ubi à frigore conſiſtit, grauisq; effectus,dum,quæ illic ſunt, cæteris miſcetur humiditatibus,dumq; ad altiora penetrare non ualeat, neque diſcuti diſsipari ue, ad ima denuo defluat neceſſe eſt, atque inde meatus facultatum ſenſilium obſtruat. Quinetiam ſomnus animanti ab fatigatione laboribusq; conſit,calore natiuo inter mouendum,opusq; faciẽdum diſperſo,imminutaq; eius quantitate,refrigerato:proinde coactus ad ſuam confugit

ſcaturiginem,fontemq́;haud ſecus ac milites,qui graui imminente periculo ad ducem recurrunt. Cor uerò in animante princeps:quod poſtremum animali mortuo refrigeratur. Somnus item naturæ eſt functio corpus gubernãtis,iccirco neceſſaria animantibus perfectis,quoniam abſq; eo immodicis laboribus frangerẽtur ſenſus,atq; interirent:quibus pereuntibus actum de uita eſſet. Quamobrẽ qui minus probè dormiunt,pallore afficiuntur,atque munia ſua potiſsimum nutritionis,deterius obeunt. Quin & exercitio ac fatigatione ſenſuum calor ille internus refrigeratur,utpote ad extima expãſus,rurſusq; ad intima ſubterfugit,ubi eius minuitur quantitas. Illud uerò te latere nolim,ſomnum cõuerſionem tantum eſſe temperaturæ caloris intimi ad frigidum & humidum,eſtq;,quæ hunc facit facultas gubernans, quæ in corde poſita eſt,cuius calor hac ratione huius eſt inſtrumẽtum. Propterea exoritur hic quæſtio,cui potiſsimum potentiæ animæ commiſſus ſit ſopor:cui ingenuè reſponſum uolumus,facultati ſenſitrici illum eſſe creditum,quæ roboratur & incrementum ſuſcipit huius functionibus:neq; nutritorię poteſtati attribuendũ,quatenus eſt nutritoria,quoniam uegetalia non ſoporantur,ſenſus nanque ſunt expertia:illa uerò uis ſentiendi aſcribitur ſenſui communi. Somnum tribuimus ſenſitrici potentiæ,utpote quæ ab eo tueatur,conſeruetur q́;quamuis ferietur tunc temporis.

De *temporum anni temperamento.* CAP. XXII.

ALtricis facultatis functiones partesq́;,quæ illas perficiunt,animantibus neceſſariæ:ſed maximè tactio,qua pereunte,animal interit. Spiratio itẽ neceſſaria:porrò liquet ea,quæ ſanitatem corporis humani tuentur, ac conſeruant, eſſe aquam,aërem,alimenta,quibus ſecundum naturã ſe habentibus corporis ſanitas cõſequatur. Aër uerò naturaliter ſe habet propter ſolis aſtrorumq́; functiones:ſol uerò id facit ſigniferum pererrans per anni quatuor tẽpora,uer,æſtatem,autumnum,atq; hyemem,quorum conſtitutionem exploratiſsi

ploratiſsimã medicum habere oportet,quippe tum dignitate,excellentiaq́;,tum utilitate longè ſuperet alia ſanitatis tuendæ præſidia:Vere quidem nutritionis functiones ualidiores atque perfectiores,calido ſcilicet interno copioſiore exiſtente,quod temperatura eſt tum calidum,tum humidũ: proinde uer calore,humoreq́; moderatũ aſſerimus,collatione ad hominis temperationem facta. Quinetiam aduleſcentes iunioresq́; uere actiones uiuidiores obtinẽt. Vocabitur item non abſurdè temperatum hominis temperamento collatum:quandoquidem non à quatuor qualitatibus per ſe totis mixtis ea temperatura conſtituitur:cuiuslibet nanq́; corporis temperatio alteri qualitatum agentium exuperanti (quæ inſtar formæ erit)atq́; alteri patientium(quæ loco materiæ)aſcribitur:alioqui non unum ſpecie,uerùm duo conflarentur:functio item una in ſuo termino minime collocaretur,ſi duæ qualitates oppoſitæ ſimul præpollẽtes ineſſent æquabiles actu poteſtateq́;. Quippe ex duobus contrariis actu,haudquaquam unum actu componitur:neq́; etiam ex non contrariis,quemadmodum duæ lineæ actu,unam actu non conficiunt.Quam opinionẽ pauci admodum,qui ſe naturæ interpretes iactitant, medicinæq́; profeſſores noſtræ memoriæ admiſerunt:uerum iam illis explicabitur:Temperata natura,ex quatuor qualitatũ pari mole moderata, hoc eſt,temperatiſsima,nuſquam ſpectari poteſt.Quinetiã temperamentum uni qualitatum agentium attribui moderatũ non conſpicimus,propterea quòd ſingulæ actiuæ modum nactæ ſunt functionum ſuarum ab altera patiẽtium quæ illi adeſt,loco materiæ.Sed unde noſtra fluxerat oratio reuertatur.Aeſtas calida & ſicca: hyems tum frigida,tum humida, collocata ad uer,hominisq́; temperamentum. Quidã autũnum(ut qui eſſet inter æſtatem hyememq́; medius)æquè tẽperatũ atq́; uer collocarunt,largiſsime quidem peccãtes:ueri nanq́; in totum quis dixerit contrariũ:à quo uires omnes imbecilliores euadunt,cuius exemplum experimentumq́; uegetalia animantiaq́; ſuppeditabunt.Proinde ſiccitatẽ atq́;

frigiditatem illi aſsignabimus:at ualidior erit ſiccitas:uerũ ut ſummatim dicam, inæqualem omnino naturam habere plericꝫ omnes peritiores ſcripſerunt. Sol autumno perinde nobis eſt proximus, atque abeſt à nobis: quod de uere dici quocꝫ merito debet. Sed hoc tantum intereſt, quòd autũno uires infirmiores debilioresꝫ fiunt, ſiccitasꝫ exuperat in animãtibus, quare nullam in generatione caloris ſui temperantia utilitatem præſtat. Vere ſi quod aliud generationi in primis aptum atꝫ idoneum: humidum nanꝫ tali functioni familiariſsimum. Porrò breuitatis, diuturnitatisꝫ certum finem, ac ſcopum anni tempora non obtinent, ſed pro regionum natura, atꝫ longitudine uariantur. Quarum equidem temperatior erit in qua breuis autumnus: uer uerò longũ: cuiuſmodi ſunt quæ ſub quinto climate iacent, præcipueꝫ maritimæ. Autumnus in noſtra Hiſpania duorum eſt menſium, quæ eſt in quinti climatis principio: Sub libra itẽ temperatam horam aſſerere (ut non pauci) abſurdũ eſt: quin etiam quartum quinto præſtantius climate exiſtimare. Galenus Greciam terram temperatiſsimam tradidit literis, potiſsimumꝫ Hippocratis patriam Coùm, atque huius tempora anni: ueriſimilia. Nos quatuor cauſsis materiali ſcilicet formali, effectrici atque finali ſalubritatem partis cuiuslibet complexi ſumus.

FINIS SECTIONIS PRIMAE.

DE SANITATE TVENDA, AVERRHOI SECTIO SECVNDA.

De *artis medicæ fine.* CAP. I.

FINIS philoſopho trifariam dicitur: primò quidem ad quem res neceſſario tendit: iſq́ abſolutè finis nominatur. Secundò uerò quemadmodum formam materiei finem appellamus, qui perfectionis entis, finis inſeparabilis dicitur. Tertiò, ac poſtremò quo adepto ac conſequuto, quę huius gratia ſunt inſtituta, conſiſtant neceſſe eſt. Atque hic cauſſarum finis uocitatur, ut ferram finem artificiorum quæ per ipſam elaborantur, appellabimus. Verumenimuero artis medicæ finis, rationabiliter ac uerè, primo, poſtremoq́ modo pronunciabitur. At ſecundo non ita ſimpliciter: uerum (ut quiſpiam dixerit) in latitudine. Pars autem medicinæ, quæ nobis nunc ſcribitur, cæteris eius partibus longe anteferenda eſt. Quæ rurſus bifariam ſecabitur: in partem uidelicet quæ ſanitatem conſeruat, ac tuetur: deinde in eam, quæ docet quemadmodum auferri debeant ea, quæ hominibus morbos accerſunt: quæ ſanè quidem media erit inter ſanitatis tuitionem, & egritudinis abolitionem: porrò id te memoria tenere uelim, noſtra corpora à uitijs tantum poſſe uindicari, quæ nobis ex accidenti contingunt: idq́ potiſſimum ab excrementorum immoderata copia, quæ ab alimentis prouenit. Quippe ſi ratio uictus moderata omnibus uſurparetur, à nullo uſquam ſanitas abeſſet. Atque hoc oraculum in hac arte diuiniſsimum firmiſsimumq́ eſſe tibi perſuadeas: alioqui manca, ac mutila eſſet claudicansq́ medicina. Quamobrem non poſſumus non mirifice laudare atque

atque probare definitionem medicinæ,quam hic mox ſubſcribimus.Medicina eſt ars factiua, ratione experimentoq; inuenta,quæ tum ſanitatem tuetur, tum morbos depellit. Qua definitione nullus maiorum poſteriorumue noſtrorum aliam ueriorem ſcripto reliquit. Nempe etſi illa quam Galenus tradidit,multis uideatur exquiſitè perfecta,nihilominus parum explicata,declarataq; eſt, & propè dixerim manca: quandoquidem cuius eſſet generis,non explicuit: uniuerſæ nanque artes operatrices, naturæ dominæ, cognoſcentesq;,tribus ſumuntur modis. Aut enim præſunt faciẽdorum operum facultati,& neq; formam,materiamue faciunt,ſed iubent.Aut minimè præcipiunt,ſed faciunt formam in materia apta. Aut mediæ inter has, quæ uidelicet partim faciunt,partim præſunt ac iubent. Primò quidem formam elaborantes: altero materiam cognoſcentes atque explicantes. Horum primi exemplum gubernator nauis erit,atque architectus,qui nauem extruit.Secundi,& tertij, is qui in naui cuncta probè diſponit, ordinat, atque iubet. Nos uerò de his exquiſitiſsime ſcripſimus in commẽtario, quem in ſecundum auſcultationis naturalis librum poſteris reliquimus. Cæterum medicina ex his artibus eſt, quæ abſolutè factiuæ uocitantur: præſtat etenim formam, qua functiones ſuas naturales homo perficit, idq; natura materiaue apta & idonea ad opus exiſtente: alioqui enim non poſſet formam præbere.Eſt autem hic finis, qui arti locum ſui ſubiecti conuenientiſsimum ſuggerit. Atque haudquaquam abſimilis rationi uictus,quam Galenus homini quadrato,temperatoq; præſcribit,ut ſcilicet uitæ naturale curriculum tranſigat,ſenectutemq; attingat,quæ mehercle ob inſigniter refrigeratas exſiccatasq; partes corporis principes,contingit:Quare hunc finem,atque ſcopum ars medica nequaquam debet tranſcendere:quòd ſi id faceret immortalitatem hominibus adferret:quam non poſſe ab ipſa præſtari,in confeſſo eſt.Cauſſa uerò cur interdum medicinalis ars finem probum non conſequatur,eadem eſt, cum illa quæ

cæteris

cæteris artibus impedimentum iniícit, ne circa materiam ſuam, atque ſubiectum finem optatum adipiſcantur: quod in athletarum, nautarum, atque agricolarum uictus ratione manifeſtiſsimè conſpicitur. Atqui Raſius noſter huius cauſſam in quodam ſuo commentario tradidit huiuſmodi, uidelicet, quòd ea quæ retro iam à nobis expoſita ſunt, non paucis intercedentibus mediis indigeant, ut hunc ipſum finem obtineant, quem à nobis ſuppeditari, fieri minime poteſt. Cuius equidem opinio proba eſt, uerum non uſquequaque perfecta: quare adiícere quædam nos oportet, quò dilucidior euadat. Eſt igitur uerum, hanc artem in indiuiduorum corporibus peccare, ob materiei ipſorum idoneam præparationem: fieri nanque poteſt, duos eſſe homines eiuſdem æquabilis, temperatæq; naturæ: una eademq; ratione uictus utentes: quorum alter ad ſenectutẽ finemq; ſuo temperamento conuenientiorem perueniet: alteri uero (etſi eodem dietæ genere utatur) praui ingenerabuntur ſucci, qui mortem accerſent celeriorem: idq; profectò contingit ob quandam huius temperaturæ inſitam innatamq; aptitudinem ad uitioſos humores gignendos, quę nos lateat, & hanc ignorantiam nobis parit naturarum tam multiplex innata præparatio, aptitudoq;, ut nullis notis nullisq; indiciis comprehendi ualeat: quod à nobis in commentariis philoſophiæ abunde expoſitum eſt: ubi id quoque proditur, materias ſcilicet ſingulas accidentia obtinere peculiaria, inſitaq;, præterea quoque, quæ à forma ſuppeditantur. Quamobrem accidentia quæ materiei adſunt multifariam illam naturarum indiuiduorum uariationem procreant, haud ſecus, ac ea, quę peculiaria formæ inſunt, mores tam uarios in hominibus ſingulis indiuiduis ue concinnant. Quippe homo poſtremũ compoſitum exiſtens, non paucas indiuiduorum differentias ſpecies ue habebit: quod facit, ut multiplicitas proprietatum, naturarum ſcilicet ac morum indiuiduorum, non ita pateat. Verumenimuero longius fortè, quàm par ſit, noſtra eſt expatiata oratio: quanquàm ingenuè affirmare auſim, id

quod nuper nobis ſcriptum eſt,maximam afferre utilitatem his,qui exploratum habere concupiſcunt,in quo philoſophorum doctorumq; uirorum non pauci olim dubitarunt. Nunc ad inſtitutum negocium reuertimur,dicimusq; illos, qui in ea ſunt ſententia,quòd uidelicet is qui tali educatione regitur,qualem in libro de ſanitate tuenda Galenus præcepit, finem optimum conſequetur,ignorare,quomodo dignoſcatur finis artis medicæ à parte ſuorum paſsiuorum; hiq; hallucinantium medicorum & indoctorum opinionibus aſtipulari uidentur,quemadmodum & illi,qui dies hominum annosq; certo numero aſtringi cenſuerunt:quandoquidem uſuuenire poteſt,quempiam naturæ temperatæ inculpata educatione uti: ueruntamen æque breuem uitam uiuere,atque is qui rationem uictus improbam uſurparit. Sed hoc rariſsime contingit,quare ab accidenti tam remoto ac longinquo medica ars neque ſubibit calumniam, neque ſubuerſionem:abſit etenim,ut tam inſignis artis nobilitas hoc tam exiguo ſcrupulo obſcuretur. Porrò qui tantum rebus externis,atque ab electione uoluntateq; prodeuntibus morbos attribuit, is noſſe cauſſarum minorem cumulum uidetur:quippe effectricium tantum gradus quidam (quæ dixerunt) ſunt: Hæ uerò utpote manifeſtiores à pleriſq; omnibus medicis ęgritudinibus aſsignantur:Huic ſi fortè (ut fit interdum) morbi accidant,quos id genus cauſſæ nō præceſſerint,diuinitus, cœlitusq; immiſſos protinus aiunt: quam opinionem, quoniam popularibus uulgoq; arrideat, minime improbabimus. Iam uerò ſatis ſuperq; expoſita artis medicæ commoditate,atque utilitate,proximum erit,ut de cauſsis diſſeramus,quæ ex accidenti corporibus noſtris uitia aduehunt, quibusq; medicinæ auxilio occurrere ualeamus:ſunt autem hæ cauſſæ effectrices:Quarum aliæ huiuſmodi ſunt,ut facile caueri uitariq; poſsint,ut combuſtio, ſectio,percuſſus,& id genus mille,quæ fugere omnino poſſumus. Aliæ uerò,quæ neceſſariò nos alterant,atque immutant,uel nobis inuitis nolentibusq;, de quibus agendum

mihi

mihi nunc eſt. Sunt igitur quæ noſtra afficiunt corpora ex accidenti cauſſæ, aëris nos ambientis conſtitutio, immutatioq; : exercitium immoderatum (quale eſt artium quarundam) deinde alimenta, potiones, animæ affectus, atque ut ſummatim perſtringam, quæcunque intemperiem & cum ſuccis, & citra ſuccos pariunt. Ab his itaq; quandoquidem uindicare nos poſſumus, aut ratione uictus, aut mediocritatem (quæ in ſanitatis tuitione collocatur) amplectendo, aſſerimus ſanitatem poſſe conſeruari tantum alimentis, tum boni ſucci, tum quantitatis moderatæ, tum opportunè aſſumptis : item motu ac quiete mediocribus, excrementorumq; expurgatione : denique aëris boni inſpiratione, & cæterorum accidentium præcautione, quæ intemperiē euocare nata ſunt. Sumendi uerò cibos modus melior medicinalis eſt. Excrementa purgabuntur frictione, lauacro, exercitio moderato, atque medicamenti aſſumptione : quæ uniuerſa præcautioni ab ægritudinibus accepta referēda ſunt.

De exercitio eiusq; modis. CAP. II.

EXercitatio motus eſt partium ab aliqua electione, atq; uoluntate procedens : qui primum quidem à membris efficitur, motionem uoluntariam obtinentibus : ſecundo uerò ab iis quæ motu ſunt prædita animali, cuiuſmodi ſunt uenæ, partesq; nutritionis officia exequentes. Cum itaque exercitatio motus ſit, quædam propria, quædam autē communis conſtituetur : atque hæc toti corpori attributa, qua utuntur cuncta animalia : illa priuatim ſingulis membris peculiaris : quemadmodum uox thoracis, atque pulmonis : ſedere, ac ſtare, dorſi exercitatio : Quinetiam alia eſt exercitationis ſectio, quatenus exercitatio (prima nanque à partibus deſumpta eſt) uehementem etenim quandam, remiſſiorem ac leuiorem, alteram & tertiam temperatam collocamus. Atqui ualida & imbecilla fatigatis interdum ac laborantibus cuiuſdam partibus fiant, quibus pariter accedent, tum concitata, tum tarda : interdum uerò cum in mouendo

alterum alteri reluctatur,atq; ab eo opprimitur,ut in grauioris oneris ſublatione contingit: uerum huic differentiæ neque citata neque tarda iunguntur. Atqui nonnunquam celeritatem pariter & uehementiam exercitatio habebit, qualis eſt illa gladiatorum:Cæterum exercitij modici utilitas eximia eſt:Spiritum etenim internum citatiorem facit, atque auget,caloris quoq; genuini augmentum prębet,cuſtoditq;:excrementa partium altrici facultati deſeruientium expurgat,& expellit,pariter & diſcutit: uerum membrorum eſſentiã emollit:quare corpori,cætera magis erit commodum, quàm hoc ipſo: Quippe caloris, atque ſpiritus augmentum, quod ab eo conficitur,non abſimile eſt caliditati naturali externæ.Atqui hæc quæ ab externis excitatur,ueluti à medicamentis aliſs´ue rebus energia,& actu calefacientibus,ex accidenti contingit.Quæ commoda nuper dicta,homo conſequetur,ſi à concoctione exercitationi ſeſe dedat:quòd ſi prius exercitio utatur,periculum eſt,ne crudos,incoctosq; cibos,ac ſuccos,partes ad ſe rapiant: quo ſimul afficietur facultas retentrix expellenturq; incocta alimenta: quandoquidem (ut rem paucis abſoluam) quiete concoctio exquiſitè conficitur:potentia autem propulſoria motu agitationeq;.Quamobrem tempus eius utendæ illud eſſe ſtatuimus.Sanè huiuſce temporis nota,color eſt urinæ mediocriter rufus ac ſuppallẽs.Inhibenda uerò exercitatio tum primũ eſt,cùm ſudorẽ calẽti uapori admixtum ſpectabis,atque ſpirationem alterari immutariq;:colorem rubrum ac floridum apparere,ſimul ac uenas intumeſcere: diligenter itaque curabis,ut cum dictorum iam indiciorum quodlibet apparebit,protinus exercitium ſiſtatur:Quippe ualido digeritur,exhauriturq; corpus,quod patet in his,qui eo genere delectantur exercenturq;:Remiſsiori uerò & imbecillo,quod expurgari debet,minimè expurgatur:nec quod ab eo fuſum ac liquatum diſsipare ualet:At mediocre ac temperatum excrementa corporis tum diſcutit, tum abſumit: quinetiam & corpus implet, & carnoſiorem obeſio-

rem´ue

reḿue reddit exercitatum. Quare ad ſanitatis tutelam ſupra quàm cuiquam credibile ſit, moderatũ exercitium confert. Verumenimuero quot incommoda ocium, exercitij́q́ negligentia pariant, clarum nobis teſtimonium exhibent, qui in uinculis, atque cuſtodia uitam agunt: facies etenim horum non diſsimilis cacheticorum faciei: color fœdus: atq́ ipſorum omnes functiones affectę imbecillæq́. Sed animantium quoque cæteris idem uſuuenire, maximeq́ auitio generi caueis detento & ſaginato, cernímus.

De *frictione, eiusq́; multiplici ratione.* CAP. III.

EXcrementorum concoctionis tertiæ frictio quoq́ euacuationem exequitur, cuius differentiæ ſimplices quidem ſex numero ſtatuimus: qualitati ternas aſcribentes, aſperam, leuem, mediam: uel (ut quiſpiam cenſuerit) uehementem, remiſſam, ac mediocrem: quantitati uerò multam, paucam, mediocrem. Atqui uehemẽtes frictiones tum denſant, tum durant immodicè corpora: Remiſſæ uerò & imbecillæ rarefacere ſimul ac mollire ualent: Mediocrium frictionum opus, uniuerſa iam dicta, mediocriter efficit, mediæq́ inter primas poſtremasq́ habentur. Prætereà ualidiores carnem minuunt, gracileq́ corpus reddunt: Mediocres contrà carnis incrementum adijciunt: paucæ uerò nullum opus euidens cõficiunt, niſi quòd parum calfaciunt. Hactenus de ſimplicibus frictionum differentijs, quibus coniugationes ipſarum, ac complicationes exploratas habebis, ſi diligenter in id incumbas. Tempus uerò nullum aliud ipſis ſtatuemus, quàm quod exercitationi nuper attribuimus: Atque in ſequentibus perfrictionum differentias exercitij́ differentijs commiſcebimus.

De *lauacro.* CAP. IIII.

NVnc de balneo nobis diſſerendum, utpote quo & uacuentur corporis ſuperfluitates, atque excrementa, cuius uarias eſſe facultates, quæ corpora noſtra afficiant,

aſſerimus:primo nanque tum humectat,tum ſiccat,refrige-
rat ſimul ac calefacit:excrementa,quæ ſub cute adhærent,
& meatus obturant,expurgat:interdum uerò eoſdem ob-
ſtruit,& cutem denſat:flatus diſcutit, ac tumores:corpora
ut probè alimẽtum ſuſcipiant,idonea aptaq; concinnat.Eſt
etiam ubi appetitionem incitet:dolores demulcet, ac lenit,
& aliquando prorſus tollit:humores fluidos facit, eosq; à
particula in particulam aliam,trãſmittit. Harum uerò adeo
contrariarum,& ſibi pugnantium functionum,cauſſam eſſe
dicimus unam ex his, quæ ternario numero continentur:
Aut enim ab ipſius lauacri natura,& conſtitutione, aut à
laborantium corporum affectu:aut denique à tempore quo
in ipſo detinentur.Cum uerò naturam balnei,atque partes
ſcripſimus,intelligas uelim aquam tum calidam,tum frigi-
dam,deinde domum in qua præparatur,aëremq;.Atque iſta
rurſus in gradus partiuntur: quippe aqua inter calidum
frigidumq; media refrigerat,humectatq;. Quinetiam non-
nihil diſcutientis poteſtatis obtinet, quo ſordes, quæ cuti
adhęreſcunt,abſtergit. Aër quoque qui eandem cum illa
temperaturam habet,exiguum ſudorem eliciens, tenues è
corpore ſuccos euocat,ſimul ac euacuat:is uerò, etſi aqua
(ut aliàs docuimus) humidior ſit,tamen non æque hume-
ctat perinde atq; aqua,ut quæ corpori applicatur, quinimo
ui deſiccante aërem prædictum meminiſſe te uelim:qui quò
calidior,eò plus aridítatis infert.Porrò aqua aërq; inſigni-
ter calida & calefaciunt,& interdum ſiccant,excremẽta ua-
cuant,quibus eductis flatus eadem opera diſcutiuntur,idq;
tantum in corporibus puris,& non excrementoſis præſtãt:
quippe in illis quibus ſuperfluitates exuberant, immodice
meatus obturant, euocatis ad cutem uitioſis, ac copioſis
ſuccis,quibus liber exitus non patet,ob copiã craſsitiemq;:
unde corpora huiuſcemodi habentibus horrores, rigoresq;
contingunt,uaganturq; ſucci per uniuerſum corpus ac de-
feruntur ex loco uno ad alterum. Quamobrem illud tibi
perſuaſiſsimum habeto,homini plethorico maliſq; referto
humoribus

humoribus lauacri uſum à nobis inhiberi. Quinetiã ſi pars quæuis tali plenitudine affecta ſit, nequaquam conſulimus. Atqui cauſſa quæ media collocata eſt, maioris eſt momenti cæteris. Porrò lauacrum dolores tantum leuat, quos fluxiones cõcitarunt, cuius generis abſceſſus, & huius generis morbi. Item interdum per ſe, interdum ex accidenti refrigerat. Hoc uerò fit meatus reſerando, & eductis unà cum ſuperfluitatibus calore ac ſpiritu: illud autem quoniam aquæ lauacri frigidæ uis ſuppeditat, adhibeturq́, ut calidæ intemperiem moderetur, & partes emollitas corrigat: atque ut mitiget calorem naturalem, eo modo quo fabri ferrarij ac coci qui frigidam uſurpant, ut ſcopum ſui propoſiti attingant. Inſuper lauacro, natatione ue frigidæ uti haudquaquã debemus, niſi prius excrementa expulſa fuerint. Balneum autem (ut ſummatim perſtringam) in his qui corpora pura obtinent (ſi modo omnium eius partium fuerit concinna aſſenſio) eximia præbet, & ſingularia commoda: etenim ſuperfluitates diſcutit, & citra uirium noxam expurgationes efficit: partes emollit, ita tamen ut neruoſum genus minime reſoluat, humectat citra caloris ſenſum. Quinetiam refrigerat, nec tamen obſtructiones ob uiſciditatem accerſit. Quæ uniuerſa nobis iam ſcripta à calido frigidoq́ perficiũtur: neque puris, ſed nõ puris corporibus incommodum afferunt.

De *ſomno, atq́ uigilia.* CAP. V.

SOmni in homine functiones ſunt, concoctio ſimul ac humectatio: Vigiliæ diſcutiunt, liquant, corpus exhauriũt, caloremq́ genuinum & internum ad exteriora detrahunt. Horum cauſſas in commentarijs qui præceſſerunt, tradidimus, deſumptas à philoſophia. Atqui ubi ſomnus immodicus eſt, natiuum illum calorem adobruit, atque extinguit, corpusq́ in tumorem fœdum attollit. Vigiliæ ſi modũ exceſſerint, arefaciunt, calorem diſſipant naturalem, & eum qui ex accidenti prouenit, accendunt. Hactenus de his, quæ prædixiſſe oportuit: iam ad cætera ueniendum.

De ratio

De ratione uictus hominis temperatæ naturæ.

CAP. VI.

PRoximum eſt,ut de cuiuslibet nouem temperamentorum ſanitate tuenda agamus, initio ſumpto à natura temperata. Primum igitur alimenta,exercitationes,frictiones, balnea, ſomnos, ac uigilias;animi affectus,aërem nos ambientem,atque externa omnia mediocria eſſe oportet, qui modus docendi,tum à doctrina,tum à functione proficiſcitur. Quamobrem grauiſsimè hallucinati ſunt, qui nullum locum medicinæ in conſeruatione ſanitatis hominis temperati reliquerunt, putantes illam methodum curandi ſolum ſuppeditare,quæ ſanè quidem naturæ temperatę minime neceſſaria eſt;quod ſi ita fortè uſuueniret,id rariſsimũ memento. Præterea etſi Galenus in tuenda ualetudine optimi temperamenti,medicamentis opus non eſſe, prodiderit, nihilominus in eius educatione (modo diutius uixerit huiuſmodi indiuiduum) quæ ſecundum naturam,& apprime illi utilia ſunt (cuius generis exercitium,lauacrum,& cætera) difficultatis ac negocij non parum habere uidentur:potiſsimumq; apud illum,qui hominis finem,ſanitatem collocarit,externarum rerum & fluxarum gratia dubitationem haud paruam obtinet;uerùm multo maiorem difficultatem excitari rationabiliter fatebimur alteri,qui ſanitatem hominis finem, aut ob animæ perfectionem, aut ut ineffabilem quandam & ſenſu incomprehenſibilem felicitatem,conſequatur,cenſuit,quæ ſententia pauciſsimis cognita comperta'ue eſt,at multis diſputationibus,opinionibusq; excuſſa, tandemq; neglecta,ac pro nihilo habita,abducente animum ab huiuſmodi contemplatione craſsitie materiei. Porrò ratio uictus temperati hominis difficilior,ab Auicẽna abundè expoſita eſt,quare rem in pauca conferemus. Galenus nuperrimè nati puelli ſale minutiſsimo, corpus conſpergi præcipit,ut externorum iniurias non ita facile admittat,ſed duretur. Verumenimuero mea quidem ſententia & Auenzoarij,utilius oleum (quod ex glandibus præparatur) illinetur,

netur,utpote efficacius præſtans quod à ſale expectamus: neq; etenim,ſicuti ſal,mordet:præ omni uerò cibo lac præbendum iubet uſque ad dentitionem, alimentum quippe (uti aliàs diximus) alito ſimile eſſe oportet: lac autem infantis temperamento familiare,ac conſimile,ob idq; à prudente natura inſtitutum:à dentitione ſolidioribus cibis nutriendus,atque humidioribus. Nutrix à mali ſucci alimentis abſtineat,temperatoq; exerceatur exercitio:ueneri non indulgeat,quæ menſes elicit unde lactis uitiantur tum ſapor,tum odor:infans quotidie lauetur in aqua potabili tepida,aëreq; temperato,ne rigor excitetur inter lauandum: quod quidem in domo balnei Galenus ſentit eſſe præparandum,uerum aëre temperato nos ambiente ego id nihil moror. Tempus uerò lauandi ſtatuimus à lactis cõcoctione, ne in corpus incoctum alimentum trahatur:atq; itẽ diuturnum præceſsiſſe ſomnum oportet:exercitationis uices occupabit cunarum motio. Quinetiam quæ terrorem mœſtitiamq; inuehunt,procul abigenda: his nanque pigreſcere, atque hebeſcere conſueuerunt naturæ. Deinde ne calor ipſius obruatur,atque extinguatur,ſed incrementum ſuſcipiat,uiresq; animales roborentur cantilenis,melodijsq; ſuauibus infantẽ oblectabimus:modisq; omnibus tentandum, ut hilarior permaneat:quinetiam formoſis ac uenuſtis,tum hominibus,tum picturis aſſueſcant. Incommoda autem quę infantibus accidunt,aut à frigore,aut ab æſtu, aut terroribus,& huiuſmodi multis aliijs externis proficiſcuntur:quæ educatio ad annum tertiũ deducetur,hoc eſt,cùm iam ambulare cœperint. Ab his annis quotidie exercebuntur, deinde frictione utẽtur,à qua lauacro ſunt committendi:alimenta quantitate qualitateq; ſint mediocria:uerum priuſquam rurſus cibum ingerant, eadem præcipienda ſunt. Quinetiam exercitationes moderatæ ſint:immodicæ nanq; ipſorum corpora arefaciunt,exhauriuntq; ſimul ac incrementum remorantur. Frigidæ lauacro abſtineant, quippe eo pacto auctus quoque inhiberetur. Educabitur autem ſic

puer,traditamq́ uictus rationem obſeruabit ad expletum tertium ſeptennium:Sanè uinum atque ceruiſiam ne guſtare quidem puero ſuaſerim:nempe hauſta caput replent, ac ſuprà quàm par ſit calfaciunt: ipſiusq́ animum ferient, turbidumq́ efficient. Adultis uerò atque iuuenibus potiones huiuſmodi tantum abeſt,ut incommodum afferant, ut etiam inſigniter utiles ſint,modicè exhibitæ: utranque etenim bilem tum flauam,tum atram iam manifeſtò colligunt:illam quidem naturaliter,hanc uerò ſecundariò,& ex accidenti.Summatim bilis amaræ acrimoniam demulcent, ac mitigant:atque per urinam ac ſudores expellunt. Atræ uerò bili omnino aduerſantur,ac (ut quiſpiam dixerit) tota ſpecie. Denique humectant quicquid immodice ſiccatum eſt.Porrò cibi adultorum tenuantes eſſe non debent: carnes quibus ueſci aſſueſcendi ſunt optimæ perdicum, unà cum panis interiore præparatæ. Ab oleribus, fructibusq́ (ut in totum ſcripſerim) temperatura humidioribus abſtinebunt.Atqui eiuſmodi ætas ſic producta educataq́ ad ſapientiam naturalemq́ ſcientiam inclinare,& idonea eſſe ſecundum naturam uidetur. Quinetiam alteram ex perfectionibus,quas Alexander putat philoſopho ſumme neceſſarias,obtinent. Prætereà tertio ſuperato ſeptẽnio eadem ratione uiuendi utentur:uerum & id efficient,ut ſcilicet à concoctione nudentur,frictionemq́ ex oleo dulci adhibeant:mollem inquam ac tardam,quæ corpus non condenſat, durat́ue:frictio uerò talis ob hoc præcipitur,ut aptiores ſint exercitationibus obeundis:quòd ſi exercitium frictiones præcederet,meatus cutis denſarentur, obſtruerenturq́ ab euocatis ad ipſam labore excrementis: oleum calens eſto,durata nanque emollit,ac ſuperfluitates diſsipat, ſimul & diſcutit. Lintea,quibus perfrictio peragitur, leuia eſſe oportet,ne aſperitate carnem offendant. Variæ autem erunt frictiones,ut ſupernè deorſum, atque infernè ſurſum:tum in ſubiectum,tum in obliquum,tum in tranſuerſum, tum ſubtranſuerſum adhibitæ: quibus omnibus

cutis

cutis meatus exactè recluduntur. Quinetiam aër in quo nudus fricatur, aëris uerni temperiem refert, ut moderatæ excrementorum uacuationes fiant. Quippe frigiditas immodica expurgationes cohibet: Caliditas uerò immoderatiores facit. Quarè ut mediocritatẽ ſeruet, opera danda eſt. Præterea ab his frictionibus exercitiũ capeſſet, quod inter uehemẽs ac remiſſum, citatum ac tardũ, medium teneat: cuiuſmodi eſt paruæ pilæ, cui libellum priuatim dicauit Galenus. Nam eius, quæ paganica appellatr, & pedibus propellitur, exercitatio minime probatur: tum quia immodice ualida ac uehemẽs, tum quia nõ citra periculũ perficitur. Huius uerò exercitij modus ac quãtitas, tibi ſignificabit, ubi anhelitus alterari cœperit, hoc eſt, attolli & intẽdi, atq; ſudore corpus perfundi ac detumeſcere. Cęterũ exercitationis mẽſurã (teſtãte Galeno) nullus põt ad unguẽ primo ſtatim die definire: ſequentibus uidelicet ſecundo ac tertio & quarto exactius poterit, experimento facto: nam ſi qui exercitio incũbit, ſeſe peccaſſe agnoſcat, & immoderatius laboraſſe, ſequẽti die nimirum quod fuit nimium, corriget ac detrahet. Ab his ſpiratio cohibebitur quantum fieri poterit: ſuſcipit etenim incrementum, atque roboratur hoc pacto natiuus calor: meatus reſerantur, ut facilis pateat excrementis exitus: cui nõ abſimile faciunt, qui inſufflantes foramenta atq; ſpiracula recludunt: cohibendo uero thoracis muſculi ſeptumq; tranſuerſum expanduntur, & intenduntur: uerum qui ſunt uentris, parum intendi debebunt, alioqui excremẽ toſæ ſuperfluitates tum pectoris, tum pulmonis, ad partes nutricationi deſeruientis, exprimerentur, atque deferrẽtur. At qui ſeptum imbecillius obtinet, ab huius generis cohibitione prorſus abſtineat: excrementa etenim cerebrum peterent: cuius rei exemplum nobis præbent fiſtulatores, ac tymbanlæ, quorum uenæ faciei ac ceruicis in tumorem attolluntur, & uultus rubore coloratur, ac tingitur: nempe humoribus ſpiritibusq; ad caput raptis, ac delatis, ſequetur hęc frictio, quæ apotherapiæ debetur: quam & multã &

aſperam exhibendam duo nobis indicant ſcopi: primus, ut quæ ſub cute deliteſcunt ſuperfluitates, & ab exercitatione in hunc locum euocatæ expurgentur. Alter, ut firmetur corpus, atque ut probi uapores uindicentur ab exercitationis immutatione. Quinetiam frictio toti corpori, ac celerrime adhiberi poſtulat iubente Galeno. Quare ſi linteis uniuerſim corpus uno tempore perfricaretur, id eſſet commodius; quippe uniuerſim, ac ſimul excrementa è corpore detruderentur. Hanc frictionem ex oleo dulci perficiendam ſemper memineris, ſed & quæ circa corpus efficiuntur aliquo interiecto ſpatio ac relaxatione debere exhiberi. Cæterum poſtquàm quartum ſeptennium attigerint, qui optimum ſtatum habent, & abunde aucti fuerint, aquæ frigidæ balneum intrepide uſurpabunt, tum ut denſentur quæ ab exercitio rarefactæ partes, ſimul ac roborentur: tum ut calor diffuſus cogatur, & ad priſtinum ſtatum redeat, functionesq; conſuetas ritè peragat: eadem porrò ratione hic aqua frigida utimur, qua in exitu à lauacro. Eſto uerò nec plane glacialis, nec tepida: altera nanque ferit afficitq; partes inſuetas. Altera uerò quod expetimus, non efficit: quin ipſum immorandi in lauatione tempus, breue ſit. Verumenimuero num caput frigida lauari debeat, inquiſitione accuratiori indiget: Galenus quippe de hoc ſcribens, non pauca prætermiſit. Atqui (ut breuiter quod ſentio aperiam) caput omnino lauandum non erit, frigida etenim pars eſt. Poſt hæc alimenta probi boniq; ſucci aſſumet, cuiuſmodi gallinacea, hœdina, uitulina, & agnina: at uitulus nondum ſit ablactatus, agnus uerò anniculus: panis inſuper optime (uti aliàs docuimus) præparatus. Porrò cibos aſſumendi tempus optime præſcribitur, quando uidelicet omnes concoctiones peractæ fuerint: quòd ſi quis (ut nonnulli cenſent) bis in die cibos ingerat, bis quoque exercitationem adhibeat neceſſe eſt, bisq; lauacrum ſubeat. Galenus quorundam medicorum ſententiæ accedere uidetur, aſſerentium, ter in die uniuerſa hæc debere uſurpari: id

quod

quod non poſſum non magnopere demirari: cùm etenim iuuenis corpus hac ratione uictus utentis, robuſtæ, optimæq; ſit naturæ, probeq; concoquat, tam frequenti alimentorum ingeſtione minime indigere arbitror. Quin potius iſta ciborum partitio ſenioribus imbecillioribusq; ſtatuenda: in qua opinione ipſe quoque Galenus uerſatur: ſecamus quidem ac partimur exercitij lauacriq; tempora, ob ciborum neceſſariam partitionem. Sanè recentiores medici duorum dierum ternas cibi aſſumptiones eſſe debere cenſent: eademq; ratione lauationis atque exercitij ternam adminiſtrationem: Quorum opinioni admirabilis ille Auenzoarus ſubſcripſiſſe uidetur, cui planè ego quoque aſſentior, utpote ueriora ſentienti.

De *uſu uenereorum.* CAP. VII.

VEnus ſi moderate adhibeatur, huic qui optima & temperata natura eſt, incommodum utilitatemq; afferet: cauendum tamen, ne quid ex his quæ ſunt præter naturam, contingat: uenereis etenim tantum indulgendum eſſe cenſemus ob hoc, quòd ſemen excrementum eſt, quod uacuari, quemadmodum cætera, poſtulet. Atqui ſanè alienum haudquaquam eſt, ſed natura bonum & familiare: quare exiguo in his commiſſo errore, atque peccato, ingens ſequitur noxa. Vnde iuxta non paucorum ſententiam philoſophorum ac prudentium uirorum, eorum nullus eſt uſus ſalubris: Exercitatio autem quæ à coitu præſcribitur, ſi aliquatenus utilis ſit, eatenus ſane erit, quatenus peccatum corrigit. Venus (ut paucis dicam) hæc mala affert, ſiccitatem corporum, effœminationem, ac imbecillitatem, uiriumq; exhauſtionem, ſimul ac diſſolutionem: quamobrem quæ poſt coitum perfrictio adhibebitur, quæ ille attulit incommoda, hæc reſarciat oportet. Erit autem ex oleo, copioſa ſimul, & aſpera, ut cutem denſet, partesq; confirmet ac roboret.

De excrementorum uacuatione, atque laßitudinibus, quæ ab immodico exercitio proueniunt. CAP. VIII.

PRædictæ naturę, ſomnus mediocriter, quantum uidelicet optima natura appetit, ſtatuitur: medium etenim neque etiam in uigilia illa tranſcendet, quæ uniuerſa ad unguem obſeruabuntur, niſi ſi aberratum ſit in uictus ratione, aut externorum quippiam illam læſerit: Tunc nanque errorem corrigemus his, quæ aduerſantur, & contraria ſunt afficienti. Exempli gratia: ſi adſtringentibus utatur, aluusq; illi ob hoc ſiſtatur, ad pinguia erit concurrendum: ſi uero à cibi parcitate, & ex longiori tempore alui fiat compreſsio, contrarijs itidem erit pugnandum: porrò ut plurimum excrementa non redduntur ob intemperaturam externorum, caliditatem inquam, atque frigiditatem, quas euitare perdifficile eſt. Cùm uerò excrementa cohiberi dixerim, non tantum alui ueſicæq; intelligere te uelim, uerum etiam corporis uniuerſi, ut meatus illius, qui iecur, & bilis ueſiculam, pariter ac illius, qui iecur ſplenemq; interiacet. Ad hæc palati ac narium. Hæc igitur ubi probè officio ſuo non funguntur, remedio indigẽt, quæ uacuationes huiuſmodi promouent. Cæterum id te potiſsimum latere nolo, exercitationis errorem caſtigandum: eſt uero is laſsitudo nominata, cuius (quando ab externis fit) tres ſimplices differentias in ſuperioribus prodidimus, ulceroſam, tẽſiuam, inflammatoriam. Prima itaq; contingit tum à ſucco calidiori, tenuiori, atque acriori, tum ab excrementis retentis, quæ exercitio diſcuti & euaporari non potuerunt, tum ob carnis & adipis particulas immoderata agitatione fuſas atque colliquatas. Curatio uerò commodior eſt affectui contraria: diſcutienda enim ſunt, ſimul & per habitum digerenda excrementa: digerentur uerò, & uacuabuntur multa, leuiq; frictione ex oleo calido ueteri nihil adſtrictionis obtinente: hæc nanque frictio quia leuis, non denſat cutis meatus, obturat ue: quin potius rarefacit, ac recludit. Ad hæc quia multa uacuat, laua crum autem primo aëreum, deinde ex aqua tepida cõue-

nientius

niẽtius cibis humidioribus,frigidioribus,tenuioribusq; cõ ſuetis uteť,at parcioribus.Eius uerò quæ tenſionis ſenſum infert medicatio,relaxatione perficitur.Conferet itaq; leuis frictio cum oleo ad ſolẽ calefacto,facta uel cũ anethino uel chamæmalino non inutilis:Quinetiam lauacro qui ſic laborant,committendi mediocritatẽ non excedenti,plurimamq; in ipſo moram trahere debent. Tertia uerò laſſitudo,quæ phlegmonoſa inflammans ue uocitatur,tum intẽdit partes, tum plus iuſto attollit,tum ſenſibilem læſionẽ adfert. Atq; ea tria pro remedio poſtulat:ſuperuacanei,expurgationem, extentæ partis remiſſionem,ac relaxationẽ,& poſtremò inflammationis accenſæ refrigerium:ergo & oleum copioſum ac tepidum cum frictione molli & multa: æſtate uerò cum oleo quod ex uiola purpurea cõficitur,efficacius fricabitur. Atq; longiorem moram in aqua mediĳ temperamenti trahet:cibos etiam probi ſucci aſſumat,parcioresq; ac frigidiores,quàm cæteræ laſſitudines expetant.Hactenus de ratione uictus,& educatione optimæ conſtitutionis prouectæ ad annum quintum & triceſimum.

De ratione uictus ætatum ſequentium. CAP. IX.

CVm explicuerimus quomodo à primo ſtatim ortu,prĳmisq; annis,conſeruandus ſit is,qui mediocrem nactus ſit corporis ſtructuram,uſq; ad annum quintum & triceſimum,proximum eſt,ut tranſeamus ad eas,quæ ſequuntur ætates.Exercitationes itaq; parciores quàm antea:uictusq; tenuior cibi humidi,aliquantuloq; calore præditi.Senes exercitio utẽtur temperato,cuiuſmodi eſt ambulatio lenta ac ſuauis,alimẽta calida,humectãtiaq;:quę quotidie ingerãtur: ſed hęc uictus ratio latitudinẽ nõ paruã obtinet maioris minorisq; ſecundũ annorũ multitudinẽ ac paucitatẽ:Quinetiã ſupradicta exercitiũ,lauatio atq; perfrictio adhibẽda:porrò quoniã ſenectus ut plurimum excrementis abundat,exercitatioq; quam uſurpant ſenes,ad unguẽ non uacuat,apprime neceſſariũ erit huic ætati cõſeruandæ,cibos medicaculã uim habentes,

habentes,uel etiam medicamenta præſcribere:Quamobrem prima menſa apponenda ſunt humectantia,qualis eſt beta elixa, uel oleo ſaleq; apparata,& id genus alia:clyſterem deinde,qui aluum molliat,utiliſsime iniiciemus:ficubus cũ ſemine urticæ & croci tantulo primo cibo utentur. Mulſa his qui ſunt abſtemij,aut quibus uinũ inhibetur, quibusq; aliæ potiones,qualis eſt ceruiſia,non bibuntur,eximiè prodeſt.Inter autem ceruiſias illa præſtat,quæ ex paſſa uua acinis experte,conficitur.Cauſſa uerò in promptu eſt,quia nihil quod adſtrictionem continet,ſenibus congruat,utraque enim ſua qualitate adſtringentia ſenibus inimica ſunt, obſtantq; quo minus finem,in quem incumbunt,conſequãtur. Atqui ceruiſias uetuſtas nobilitat, color, uini colorem repræſentans. Verum apud noſtrates uetuſtas niſi poſt ſemeſtre intelligitur:nec ſanitati tuendæ idonea.Iam uerò inter potus uniuerſos uinum primas tenebit, commodiſsimeq; bibetur,quod neque apud nos uetus nominatur,niſi ſi anniculum ſit,aut ſaltem ſemeſtre. Quòd ſi ſenum partes imbecilliores natura ſint,& ſenſibiliter affectæ,ab exercitatione abſtinebunt:oportet etenim illos qui exercentur inculpatas illæſasq; particulas corporis habere. Ad hæc lauandi ter quaterq; in menſe,ut id exercitij deſertionem reſarciat:nempe ſenum educatio ex conſeruante,atque præcauẽte ratione cõſtituitur:quarum differentia hoc ipſo tibi innoteſcet,quòd illa conſimilibus,hæc uerò contrarijs perficitur.Illud denique animaduertere oportet,alimenta omnia ſucci craſsi, potusq;,in primis eſſe fugienda ſenibus: quòd ſi quis forte (ut non raro fit) in huiuſmodi ciborum uſum inciderit,confeſtim extenuantibus, ac diſſecantibus utetur medicamẽtis,qualia ſunt piper, & quod ex tribus piperis generibus conficitur: lac ſenibus quibus latiores ſunt uenæ,ſi mel adijciatur,bonum: qui uerò temperatura ſunt frigidiori,uenisq; anguſtioribus ipſum (cane peius & angue) uitare debent.Hactenus de optimæ naturæ uictus ratione diſſeruimus,uſque ad ſenectutem.At dicet aliquis,

quæ

quæ à nobis præcipiuntur, non parum abeſſe ab ea, quam quærimus temperamenti medij conſeruatione. Eſto quilibet nihilominus hinc uenari poterit ſcopum, atque finem, quo ſua ſecunda ualetudo conſeruetur: in qua ſi deliquerit, uarijs modis id emendabitur, tum uacuantibus excremẽta, tum obſtructiones aperientibus, tum putredini, atq; abſceſſuum generationi occurrentibus.

De *his qui intemperiem compoſitam obtinent.* CAP. X.

SEquitur ut iam de cæteris temperaturis aliquid attingamus. Intemperatarum igitur compoſitionum duæ ſunt omnino differentiæ: prima quæ partes uniuerſas corporis æqualiter diſtemperatas habet: Altera inæqualiter, ut ſæpe ſpectamus, quibuſdam cerebrum eſſe calidum, uentriculum uerò frigidum: quare Galenus hanc prima deteriorem iudicauit: idq; potiſsimum, cùm in partibus principibus affigitur: Atque horum uictus ratio præcauenti, quàm conſeruanti generi proximè accedit: mediaq; eſt inter eam, quæ eſt nondum affectorum corporum: & illam, quæ paratis, aptisq; in ægritudines delabi, tribuitur: quod una pluribus ue notis ſignificatur, uel ſanitate fruentibus.

De *intemperie ſimplici calida.* CAP. XI.

ERgo initio ſumpto ab his, qui calidius temperamentum ſortiti ſunt, dicemus talium corporum naturam ſtatim à principio minus apparere affectam: cùm tamen longius procedit, ſiccitas comes illi accedit. Quinetiam bile flaua abundat, facileq; ab eius morbis capitur. Quamobrem exercitationẽ præter leuem ac facilem minime poſtulat, quales ſunt lentæ deambulationes, atque equitationes. Quod uerò ab Hippocrate proditur, calidas naturas quiete indigere, neque exercitari debere: non de omnimodo, ac torpido ocio intelligendum: uerùm mediocres labores præſcribit: Quippe nullatenus ignauia ſanitati tuendæ confert. Fri-

ctiones adhibeantur leues,ac temperatæ, cum oleo aliquo, eorum quæ refrigerandi facultatem habent,quale quod ex uiola purpurea paratur,carnis etenim incrementum adiſ= ciunt:lauacro aquæ tepidæ committatur,ut quod in ipſa eſt fumidi,ac fuliginoſi excrementi uacuetur, ac per halitum digeratur.Sanè aër ipſius balnei non conuenit. At ſi quod ex calida lauatione incommodum percipiant,aquæ frigidæ ablutio emendabit.Porrò bis in die cibos aſſumant: atque etiam,ſi plus iuſto ſiccitas prępollet,ter:ciborum uerò tem= peratura talis eſſe debet,qualem in ſanitate tuenda obſerua= mus:hoc eſt,ſimilis. Erit igitur calida,aut calida,ac ſicca. Quare ſi intemperiem calidam corrigere quis uolet,contra= ria adferet,atque ſenſim is fiet tranſitus. Cæterum tempe= ramenta,quæ à modo ſuo, mediocritateq; abſcedunt lon= gius,facilime à morbis eiuſdem generis corripiuntur, ali= quo extrinſecus incidente,atque etiam quòd ad excipien= dum iam ſint idonea. Quare mea quidem ſententia non uſquequaq; ſimilibus educandi ſunt tali temperatura præ= diti:quandoquidem mirè uario diſtinguntur modo,ac pro= cedunt:inclinant etenim in ægritudines,quæ ab intemperie illa oriuntur.Nos itaque non ſolum conſeruationi,cibis cu= ram impendemus,uerumetiam præcautione ſtudebimus,ne quid ex illa tam prompta aptitudine uitij contrahant,unde cibis admiſcebimus, quod contrariam temperationem illi naturæ obtineat:ſic euitabitur,quod ab externis impendet, periculum.Quippe quod ab intemperie timetur,non uetat, quo minus in totum ſimilibus utantur:qui uerò huius ſen= tentiæ autores extiterunt,id quod orationi adijcitur in to= tum non expoſuerunt.Ad hæc uictus ratio,quam præſcri= bimus,ſola non ſufficit:niſi quoque is qui intemperaturæ fomentum ſuggerit humor,uacuetur. Vacuabitur uerò, quò natura repet: nam ſi ſurſum,uomitione educetur:ſin deorſum,per aluum expurgabitur: quæ mehercle utilior eſt, naturæq; magis conſi:eta, atque idonea expurgatio. Oxyphœnicia igitur,uiola purpurea,& citrinæ myrobala=

ni intem

ni intemperiei calidæ,aut calidæ & ſiccæ purgationem perficient.Hæc autem intemperatura,ut plurimum uaporoſis, fumidisq́;,ac fuliginoſis excrementis abundat:quare lauandi ſunt,ne diaria febre capiantur,quæ etiam,ſi diutius uictu tenuante uſi ſunt,facile ſuperuenire ſolet.Efficaciter item aliquando lauatio ipſis à cibo proderit, qua nonnulli pinguescunt:qui uerò dextri lateris grauitatẽ ſentiunt,ab hoc abſtinere debẽt:atq; his quæ obſtructiones aperiũt,utí:uinũ ſi bibere uelint,id aquoſum eſto.Inſuper(ut ſummatim colligam) educatio temperaturarum calidarum,ſimplicium & calidarum,ac ſiccarum ſimul maioris,minorisq́;tantum ratione differt:ſemper etenim procedente tempore caliditati ſiccitas comes adiungitur.Quibus,conſtitutione aëris calidiori,utiliter bibetur oxyſacchara frigida,cui uel herbæ uel ſemina ipſarum adĩcienda ſunt,quæ tum obſtructiones recludant,tum urinam citent:id genus uerò habes adianton & cichorĩ ſemen,atque etiam apĩ,quod tamen temperabitur cum ſeminibus peponum,cucumerumq́;,uel cum alĩs quæ caliditatem,ſiccitatemq́; moderandi facultatem obtinent:inter quæ non inferiorem uſum habent cichorium,atque uiola purpurea.Noſter autem mirus Auenzoarus iubet nympheæ flores unà cum oxyſacchara ſemper exhiberi:idq́; potiſsimum tempore calidiori: nempe nympheam tales temperaturas à febre intus reddere, ſeſe experimento comprobaſſe,ſcribit. Quinetiam cum oxyſacchara aliquid ſemper admiſcendum, quod os uentriculi corroboret,cuiuſmodi maſtiche,cynamomum,nardus:acetum nanque(ut eſt acetum) huic inſigniter incommodat.Ego uerò aquam ordei tunc utiliſsime bibi cenſeo, cùm aliqua erunt iniecta,quæ noxam oris uentriculi reſarciant. Corporum ſiccorum (ut paucis abſoluam) ratio uiuendi uniuerſa humectandi uires habeat, neceſſe eſt, ne derepente ſenectus obrepat: cibis autem id præcauebimus probi ſucci, humidioribus, cuius generis pullorum gallinaceorum caro,lauacro item frequentiori aquæ temperatæ:labo-

res,uigilias,ſolicitudinem animi,curas,omneisq; animi affectus,qui caliditatem accendunt,qualis ira, arcere quàm longiſsimè ſtudebimus. Denique modis omnibus, qui ſic afficiuntur exhilarandi,atque oblectandi.Quare exteriora quæ adhibemus,prorſus contraria ſint huic naturæ,ut ſunt folia ſalicum,uitis,& aquæ frigidæ,gaudium temperatum: aër quoque temperatus,lecti penſiles, atque(ut in totum dixerim)muſices ſuauiores ſoni,ac cantilenæ amœniores. Calida & humida temperies facilime ab ægritudinibus, quæ à putredine proueniunt, corripitur, excrementoſis etenim ſuperfluitatibus abundant, præcipue quum ætate ſunt florenti.Quamobrem uehementer ſic affectos exercitari oportet,frictionibus utantur multis,ac ualidis: balneum cibos præcedat,uerum ad uentriculum horum, animum diligenter applicabimus,quippe ſi à naturali temperatura recedat,uniuerſi corporis ſuperuacaneæ ſuperfluitates in hunc præcipitabuntur. Quare tunc eſſet uictus immutandus, hoc eſt, frigidi ſicciq; cibi apponerentur. Hanc naturam(quamuis ita Galenus cenſuerit)temperatam minime dixerim: maiores quidem,priſciq; medici, quod à natura primum conſequimur temperamentum,calidum humidumq; teſtati ſunt:quod collatum(quatenus mediocre eſt)cæteris temperaturis,æquabiliter temperatum nominatur: ubi uerò præpollentibus elementorum qualitatibus,quæ ſunt in ipſo,confertur,calidum ſtatim & humidum aſſerimus:calidum nanque,atque frigidum eminentiora ſunt frigiditate,atque ſiccitate.Inde naturali tantum collatum(id quod mediocre hic uocitamus)humidum, calidumq; dicitur.Quamobrem cum temperatam eſſe, calidam,humidamq; naturam, ex nobis audies, æquiuocam appellationem accipito:Quam ipſe Galenus naturalem uocat collatam cæteris temperaturis:pariter & calidam,& humidam collatione mediocris ac mediæ.Hinc exoritur dubitatio,num temperata occurrat natura.Verumenimuero propoſitæ temperaturæ conſeruationem ad calcem perducemus,

cemus,redeuntes ad id,unde digreſsi fueramus. Non ſolum igitur huc conſilium dirigetur,ut exerceatur,lauetur, cibis ſucci boni utatur, uerumetiam excrementis,quæ in ipſa gignuntur,proſpiciet is, qui ſanitati huius corporis præficitur,tum iſs,quæ per aluum, tum iſs,quæ per ueſicam redduntur: in quorum numero agaribus,& cuicus, atque adianton ſunt:Quinetiã apophthegmatiſmis ex ſtaphodagria, & id genus aliquando utetur: ſternutationes item citabit,gargariſmate collutione ue ex maſtiche utetur:atque in primis dabit operam,ne obſtructionibus tenetur:pugnabitq; contra putredinem modis omnibus,tum purgatione,tum medicamentorum aliorum auxilio,quæ & qualitatibus,& cæcis proprietatibus opponuntur. Eſt autem putrefactio propriſ,naturalisq; caloris in unoquoque humido exiſtentis:ab extraria caliditate fœtida corruptio, cui ſanè maxime ſunt contraria aromatum genera: Quare ſi concinnaueris medicamentum,quod præſcriptis uniuerſis facultatibus conſtet,remittendo uidelicet in ipſis,& cohibendo, id quo minime indigemus præſtantiſsimum ad ſanitatem tuendam huius temperamenti præſidium effeceris. Quicunque autem natura ſunt frigidiores,ſanitatem ſuam conſeruabunt iſs,quæ citra humectationem calefaciunt: lauacro,exercitio, & uictus ratione tota:temperamento uerò, quod cum frigiditate humiditatem coniunctam habet, ſuccurritur calefacientibus arefacientibusq; exercitatione ualida,ac frequentiori purgatione excrementorum,quæ id fluxionũ morbis obnoxium faciunt. Eæ frigidiores item,atque ſicciores naturæ cæteris uitioſiores, quibus opitulabimur calore,humoreq; præditis remediis: leui frictione,aquæ temperatæ balneo,exercitio moderato: ſimul ac ſomno diuturniori,purgatione inſuper excrementi atribiliariſ, quo abundant,quæ myrobalanorum Indicarum ſimul & filiculæ exhibitione utiliſsime peragitur: porrò uina odore his accommodatiſsima erunt. At uenerea ſuprà,quàm cuiquam credibile ſit,inimica huiuſmodi

temperie affectis:uerum (ut ſummatim dicam) calidiores, humidioresq; ex longiori cibabuntur interuallo: contrà uero ſiccíores breuiori. Atqui calidiores atque humidiores uenere immoderatiori minus afficiuntur:qui uero humidiores tantum,mediocriter circa hanc ſe habent. Hactenus de temperamentis à medio remotis utriſq; qualitatibus:quarum quidem,quæ patientes dicuntur ſolæ, minus officiunt,quàm agentes ſolę,uel utrarunq; coniugationes.

Quomodo graciliores facti obeſiores efficiantur, & contrà obeſiores graciles. CAP. XII.

SAnè horum uictus ratio,extenuanti penitus aduerſari debet,quippe ſi ob calidam,ſiccamq; intemperiem contigerit,frigidioribus,humidioribusq; ſuccurremus.Sinautem ab imbecillitate facultatis attractoriæ,& diſtributionis alimenti,proderit illinere corpus oleo, uerum talis illitionis meta erit, ut tandiu permaneat,quandiu alimenta partes attraxerint,alioqui ſi longior eſſet mora, plus iuſto per halitum digereret, uiresq; exhauriret:ſimul ac corpus immutaret,afficeretq;. Ad hæc ſi à frigiditate concoctionem uitiante euenerit gracilitas corporis:ſtatim adferenda erunt,quæ concoquendi uim adiuuant,in quorum numero uinum poſtremum non erit:ſunt & non pauca alia auxilia,quæ non te latere debent:gracilitas uerò propè dixerim,ſemper ſiccitatem comitem habet.Atqui ſiccitas aliàs proficiſcitur à multa per halitum uacuatione: aliàs à debili infirmaq; concoctione:aliàs à ciborum arefacientium aſſumptione,cuius inſtauratio perfacilis eſt.Cæterum contraria ratione,quæ obeſiora ſunt corpora,gracilia redduntur,quod te ignorare minimè arbitror.

De ſingularum partium intemperatura. CAP. XIII.

EXpoſita ratione uictus,quæ totius corporis intemperaturis debetur:proximum eſt,ut de ſingulis partibus intemperie affectis diſſeramus. Hæ autem intemperaturæ ratione

ratione magis præcauente,quàm ea quę intemperiei cõmuni occurrit,indigent. Caput uerò noſtri conſilij,ut pars intemperata firmetur,ac corroboretur: id fiet intemperiem moderando,ſimul ac excrementa expurgando,quæ in parte gignuntur,ac continentur. Quinetiam ablationi cauſæ, quæ illa peperit,accurate ſtudendum: illud quoque conſiderato,num pars quæ ſic afficitur per ſe ac primario,num per conſenſum intemperiem habeat. Quippe uentriculus interdum propria laborat affectione, interdum uerò per conſenſum cerebri,uitiatur. Quæ autem partium,ut plurimum homini noxam adferunt,principes ſunt, quando uidelicet contrarijs temperamentis ſunt affectæ. Exempli gratia:ſi iecur calidum,uentriculus uerò frigidus,corpusq; ſit gracile,renes calculo tententur, ac copioſum exuberet ſemen:cui taliter afflicto ratione uictus compoſita atque mixta opitulabimur: magisq; animaduertemus id, quod magis urget,non tamen altero neglecto:uerum ad methodum medendi iſta pertinent,quibus ſuperſedebimus: præcautio quidem (ut aliàs dicemus) ſub curationis genere comprehenditur. Iam meminiſſe te uelim uitioſiſsimam eſſe cerebri intemperiem, quæ uel à frigiditate uel caliditate immodice auctis,exoritur. Cerebrum itaque ſic intemperatum, hæc mala adfert inſigniter pernicioſa,abſceſſus qui in ceruice erumpunt: anginas:oris ulcera, puſtulasq;: columellę inflãmationes,raucedines,tabem quam phthiſim uocitant, tuſsim pariter ac dyſenteriam,& huius generis alia non pauca. Ad hæc frequentiſsime excrementa cerebri in uentriculum defluunt,quæ ſi frigida fuerint,uentrem refrigerabunt, totiusq; corporis temperatura uitiabitur: quod tibi maxime indicabunt ructus acidi. Quibus ego iuuenis abundabam,ob uentriculi intemperaturam,quam ex uitioſa uiuendi ratione contraxeram:uerum cum opem ab indocto & imperito medico efflagitaſſem, morbum ita profunde radices egiſſe dixit,ut nuſquam tolli poſſet. Atq; huius ignorantia,mihi intemperies omneis,morbosq; quibus affi

bus afficior,peperit.Nondum etenim medicinæ artem per-
noueram: porrò ſi intemperies cerebri ſit calidior,fluxio
quoque,quam progenuit caliditatem,obtinebit:de quibus
in methodo curandi copioſius ſermo fiet. Cum igitur cere-
brum frigidum extiterit,obſeruareq; uelimus,ne à tempe-
rie ſua diſcedat, capiti ſuperimponemus deſiccantia cum
caliditate aromata,qualia macir, ac chariophilli in tenuiſsi-
mum puluiſculum triti,primùm uerò cum uino abluetur.
Ad hæc cerebri excrementa aſsidue ab eo genita,ſternuta-
tionibus educentur. Quinetiam gingiuarum cum radice
nucis iuglandis frictio efficax eſt:commanducatio item fre-
quens maſtiches,medicamenta inſuper purgantia ſuccum
noxium tempeſtiuè exhibita,uere ſcilicet,& autumno,uti-
liſsimæ aſſumentur.Calidioris cerebri intemperies excre-
menta calidiora parit: cui contraria nuper dictæ ratione
ſuccurrendum:primum quidem humoris infeſtantis pur-
gatione,deinde olei roſacei rigatione:generatim autem di-
xerim,cerebrum frequentius à frigore lædi,quàm à calidi-
tate:quamobrem diligentiori cura obſeruandum,ne à frigo-
ris iniuria quid patiatur. Cæterum qui ſic educari ac regi
non poſſunt: conſeruentur tantum ſuarum temperatura-
rum qualitates.Quòd ſi æquale fuerit ab ipſo ortu tempe-
ramentum, ægritudines quæ ſuperuenient,à plenitudine
exorientur,quamobrem opitulabimur totius corporis eua-
cuatione,hoc eſt,ſanguinis detractione:notæ uerò plenitu-
dinis tibi indicabunt.Abſtineant inſuper à cibis, qui multã
alimoniam ſuggerũt:præterea ijs,quibus natura temperata
non eſt,plericq; omnes morbi,quibus capiuntur,improbo-
rum ſuccorum ſoboles ſunt: eos itaque continentes eſſe
oportet.Modum uerò,ac menſuram euacuationum teneat
is,qui ſanitati conſeruandæ huius naturæ præficitur,ut ne-
que immodicæ ſint,neque item plus iuſto exiguæ. Alij
nanque ſemel tantum euacuari poſtulant,uere ſcilicet:non-
nulli bis, uere & autumno:Ego quidem non poſſum non
magis commendare illos,qui ſeptimo quoque anno pur-
gantur

gantur,uacuantur ue,quàm alios qui quotannis: quandoquidem raro niſi certis circuitibus accidunt morbi,aut non longe ab ipſis.Hoc igitur circa ſingula indiuidua conſiderandum accurate:maximam nanque ſpem concepi hac nobis ſcripta ratione obſeruata,non pauciſsimos ægritudines euaſuros, quibus ex accidenti capi conſueuerunt. Cæterum ſi quis conſuetudinem mutare uel improbam deſyderat,ſenſim id faciendum eſt,omnis etenim ſubita mutatio periculoſa.

De *præcautione futurarum ægritudinum, atque ſpontaneis laßitudinibus.* CAP. XIIII.

QVædam naturæ,ut in morbos facile labantur, paratiſsimæ ſunt,quare eædem ſumma obſeruatione indigent:quæ fiet abigendo cauſſam,& uitando,quæ afficere poteſt:præcedunt uerò notæ innumeræ,ægritudines prænunciãtes ſimul ac manifeſtiſsimæ.Vnum uero genus preſeruationis totum ad curationem pertinet, iam ægrotantis hominis,quale eſt cum elephantem morbum, ne fiat,cauere uolumus,quippe eadem afferuntur adhibenturq; remedia,quæ iam facto ſolent, quod ſimili ratione in cæteris affectibus intelligas. Eorum uerò quæ morbos futuros nunciant,clariſsime patent laſsitudines ſpontaneæ,uitioſiſſimæq; ſunt. Corpora nanque, quibus accidunt,obnoxia eſſe non paucis malis morbis, ſcito, quorum præſeruatio alia eſt,ab his,quæ cæteris ægritudinibus propriè peculiariterq; debetur. Hæc etenim ſub genere modoq; curationis ipſarum tota continetur: de qua impræſentiarum nullus fiet ſermo. Atqui non putes me oblitum eſſe illius præcautionis,quam peſtilens corruptio aëris poſtulat:nempe de ipſa in ſequentibus diſſeremus. Nunc uerò conſilium noſtrum eſt, laſsitudines tractare:quarum triplicem differentiam in commentario, quem morbis dicauimus, prodidimus:unam ulceroſam,alteram in qua tenſio ſentitur:tertiam quæ phlegmones ſenſum affert. Prima qui-

dem ex bilioso succo acri, ac stimulante oritur. Altera tensionis, scilicet à multitudine humorum potissimum sanguinis ortum trahit: quidam flatibus acceptam retulerunt, nomenq́ illi flatuosæ indiderunt. Tertium uerò lassitudinis genus inflammationis sensum præbens ex duobus primis constat, hoc est, nascitur, tum ex nimia boni succi copia, tum prædicto pungente, ac erodente biliosoq́ humore. Hæc autem peculiare id obtinet, ut partes omneis in superficie positas, atq́ musculos in tumorem attollat. Porrò generatim primo, atque uniuersim curationem harum docebimus, speciatim uerò, ac priuatim in sequentibus, initio sumpto à caussa effectrice, quæ est intemperies cum humoribus coniuncta. Commune itaque remedium, uel alterabit, uel uacuabit: quorum utrunque natura facit cum cibis medicamentisq́ aptis, idoneisq́ ad humorum uitia corrigenda: quinetiam somnus, quiesq́ interdum præsidium afferunt. Euacuantur autem purgationibus sudorem, urinamq́ appellantibus, flatum discutientibus, & dissipantibus: quod exercitationes præstant. Atque in his omnibus ars naturam imitatur, quò etenim repit, medici quoq́ munus est, cursum humorum dirigere, uacuationesq́ promouere. Sunt autem hæc remedia omnibus communia lassitudinibus: proprias uerò nunc singularum medicationes docebimus, quandoquidem alia est, tum uacuatio, tum alteratio ulcerosæ, alia eius quæ tensionem infert, alia uerò inflammantis.

De ulcerosæ lassitudinis, tum præcautione, tum curatione.

CAP. XV.

LAssitudo quæ ulceris sensum affert, caussam efficientem habet succum acriorem, erodentem, ac pungentem: hic uerò uel flauæ bilis, uel atræ, uel pituitæ salsæ est soboles. Atqui humores isti mordaces omnino sunt, ac stimulantes: amara quidem bilis ob acredinem, atra ob aciditatem: pituita uerò propter salsedinem: uerum in hoc negocio

gocio conſiderandum,num ſub cute tantum:num ſub intima carne muſculis ue:num uerò in muſculis ac ſanguine, qui intra uenas concluditur, humores iſti contineantur. Nihil etiam prohibet, quin interdum ſuccos lentos accumulari ſentiamus, aliàs ſub carne,aliàs in uenis:quorum poſtremum ſi contigerit,uel cum ſanguinis paucitate, uel multitudine fiet: uenæ uerò multo minime abundant ſanguine,niſi cæteri ſucci parciores fuerint,ijq; à ſanguinis natura non procul abſcedentes: quorum alij energia actu ue prius ſpectantur,quàm in ſanguinem commutentur: alij autem cum mutationem in eundem nacti ſint, quemadmodum utraque bilis,tum flaua,tum atra: deinde ex his nonnulli facile alterantur,nonnulli difficulter. Quippe cum longius abſunt à ſanguinis natura, tardius immutantur,uertunturq; in ipſum:qui uerò non ita procul abſceſſerunt,celerius ocyusq;. Quare priuatim unicuique curatio dicabitur. Cum itaque ſub cute impacti tantum ſint, exercitationibus uehementioribus, ſimul ac frictionibus, lauacro item,ac uictu tenuiori opitulabimur:inſuper aqua ordei pariter & oxymel exhibebuntur,& id genus cætera: quando uerò meatibus adhærent,abſtineant ab exercitio:quieti ac ſomno indulgeant,inedia præcipiatur,quæ uniuerſa concoquendi hos ſuccos uim obtinent: ueſpere inſuper lauabuntur aqua temperata: & poſt aſſumptum oxymel extenuantes cibos ingerant: oxymel quippe per urinam atque ſudorem expurgat ſuccum quemlibet à natura motum:Quòd ſi ſymptoma id,morbusq; ceſſet: tunc ſcito cauſſam exploratiſsimam te habere. Sin autem contrà, exiguusq; ac tumultuoſus fuerit ipſorum ſomnus:nõ tantum in carne muſculisq;,uerũetiã in uenis deprauatos ſuccos contineri,non dubitabis. Ad hæc conſyderabis,utrum cum iſtis miſceantur humores lenti, ac tenaces, quandoquidem ſi non adſint,ſed alij in meatibus uenisq; concludantur,animaduertendum,num paucus, multus ue abundet ſanguis:an ab ſanguinis ſubſtantia remotiores,proxi-

miores ue cernantur. Nam ubi pauciorem ſanguinem ſpectabimus, alioſq; ſuccos ab eodem longius remotos, ſtatim medicamento, quod uim purgandi talem ſuccum habeat, educemus, miſsioni ſanguinis parcentes. Quippe flaua bile morbum committente, aut atra, aut ipſa pituita ſalſa, à naturali ſuo ſtatu qualitate tantum diſcedunt. Quamobrem purgante medicina, quæ humorem morbum efficientem uacuet, utemur. Atqui ſi quantitate ſucci illi uitiantur, detractio ſanguinis in auxilium adhibebitur, uti in methodo curandi docuimus: præterea ſi multo cum ſanguine miſceantur humores, nec ſint ab eius eſſentia longe alieni, primum quidem uenam ſecabimus, deinde purgatorium medicamentum afferemus. Semper autem intellige re te puto, ſuccis lentis minime præſentibus id præceptum locum habere: quippe ſi adſint in uenis cum ſanguinis copia, nec abſint à ſanguinis natura longius, uenam quoque in hoc affectu ſecabis: purgatio uerò uix adhibeatur. Quando autem copioſi tenaces ſucci in uenis pauco cum ſanguine mixti continentur, quiq; affectum laſsitudinis pepererunt, humores à ſanguine parum remouentur: ſectioni uenæ, atque purgationi in totum parcemus: illa nanque exitialem pernitiem afferret: Hæc uerò ſpem ac ſcopum noſtri conſilij haudquaquam aſſequeretur: craſsi nanque ſucci contumacitas facit, ne prompta, facilisq;, nedum utilis purgatio, quippe tracti & agitati humores uberius defluerent, uenasq; obſtruerent, uictus itaque citra inſignẽ calorem attenuans, diſſecansq; omnino præcipiendus: ne à caliditate immoderata in parteis omneis diſſoluti deferantur. Atque hic utiliſsime aſſumetur oxymeli cum ſeminibus confectum, cuius ſiccitatem uiola purpurea probè emendat: ptiſana item præcipuè iuuenibus cum fœniculi radicibus: interdum uerò & mulſa dabitur. At quoniam frequentiſsime his omnibus naturis flatus craſsiores, ac copioſiores ingenerantur, Galenus iubet dari medicamentum diatrionpipereon, atque etiam diaciminum: uerum

noſtræ

noſtræ regionis homines non tolerant, periculum etenim, ne febres iſta accerſant: quinetiam Galenus tantum frigidiore, tum conſtitutione aëris, tum temperamento cenſuit offerenda: præſidia autem attenuantia, quę & moderate calfaciunt, & internas roborant parteis, non in poſtremis opitulabuntur, qualia uidelicet ſunt cinamomum, caſia lignea, ambar, chariophilli, & quæ eius generis ſunt aromata: quod ſi Galenus ex his quædam non probaret, id aſtrictioni imputandum eſt: quare cum cæteris admixta, eximie commodam conflabunt medicinam: partes nanque principes (potiſsimumq; os uentriculi) imbecillime ſpectantur: maſtiche igitur non prætermittenda: ſed roſa, quia refrigerat arefacitq;, uitanda. Sthecas inſuper, tum qualitate, tum peculiari proprietate, inſigniter commendatur. Cæterum miſsio ſanguinis atque uomitio ijſdem ſanè indicationibus uitanda ſunt, ubi uerò craſsi lentiq; ſucci in muſculis fuerint, & probus in uenis ſanguis continetur, atque ſyncerus, auxilia calidiora tunc minime uerebimur, quæ urinam appellant: etenim nullum à ſparſione delationeq; in totum corpus ſuccorum, ſubeſt periculum. Quamobrem hic, præſidio ex pulegio Galenus utitur: quod maximopere mihi arridet, aut aliquod aliud huiuſmodi: porrò notas, ſigna ue horum omnium uitioſorum humorum hic omiſimus, quandoquidem in eo commentario, quem de ſignis conſcripſimus, ad unguem expoſuimus. Sed ut obiter aliquid de his tradam, memento urinam poſſe te docere, qui ſint exuberantes in uenarum ſinibus ſucci: quorũ tum copiam, tum paucitatem, à ratione uiuendi antè acta, à temperamento, ab ætate, à tempore, aliiſq; ſupradicto commentario explicatis, cognitam habebis: præterea laſsitudo ſpontanea, quæ tenſionis ſenſum affert, cum nulla præeunte uehementi exercitatione, atq; motione contigerit, ſuccorum exuberantẽ copiam teſtatur, quæ cum reliquas corporis parteis, tum præcipue muſculos infeſtat: quare grauitas tantum ac tenſio ſentitur: quandoquidem ſolius ſit ſangui-

nis abundantia: quæ rectiſsime utiliſsimeq; uena cubiti diſſecta euacuabitur: aut malleolorum uenis ſcarificatis: inde toto corpore uacuato, ad relaxationem tenſionis ueniendum, idq; fiet unctione, frictione molli, quiete, lauacro temperatæ aquæ: cibis abſtergendi uim aliquantulum, citra tamen mordacitatem, obtinentibus: quo in numero ptiſana, & apomeli ſunt: nos uerò de his breuiter diſſerimus, utpote à Galeno tam copioſe explicatis. Sed & de poſtrema, quæ phlegmones ſenſum præbet, nonnihil præcipiendum: ea igitur utpote à ſanguine potiſsimum proueniente, diſſectione uenæ curabitur: tantumq; detrahetur ſanguinis, quantum tum ætas, tum temporis conſtitutio, tum temperatura laborantis, ſuadebunt. Atque etiam loci diſcrimen habebimus hoc in negocio laſsitudinis: capite nanque ceruiceq; grauitatem, doloremq; ſentientibus, humeralem uenam incides: ſin autem quæ ſunt mediæ partes, cuiuſmodi thorax, ac dorſum dolore afficiantur, internam cubiti uenam ſecabimus: quòd ſi æqualiter uniuerſum corpus grauitate doloreq; crucietur, mediam. Signa cauſſasq; in ſuperioribus libris accuratius expoſuimus.

De *aëris in uniuerſum præcautione.* CAP. XVI.

AEr (uti aliàs declarauimus) eſſentia interdum ſua, interdum qualitate tantum alteratur, atque permutatur: uerum cum ſæpius alterutrum contingat, corpora ſimili afficiuntur intemperie, uerum non omnia: at quæ in tales diſpoſitiones præparata ſunt: alioqui qui ſub eodem uerſarentur aëre, uniuerſi morbis corriperentur: quemadmodum ſub canicula, ardentibus febribus caperentur, atq; in peſtilentia omnes perirent. Quamobrem non oſcitanter adhibenda eſt ambienti nos aëri diligentia: obſtructionum uidelicet apertione, humidorum deſiccatione, & excrementoſorum expurgatione: ſummatim omnibus modis putrefactioni repugnando: & hæ ſunt quas aëreæ ſubſtantię

ſtantiæ alterationes retro iam diximus,quando uerò qualitatibus permutatur, præſidia ipſis contraria afferenda: quippe aliquando admodum calidus ſe exhibet: interdum admodum frigidus: interdum coniunctim calidus ac ſiccus: pro calido igitur contrarius inducendus, ſubterraneis domibus inuentis: quæ & frigidiſsimæ, & maxime perflatæ, & ad ſeptentriones uerſæ: tum aqua prorſus gelida domo aſsidue aſperſa, herbisq; ſuauibus,ac refrigerantibus, aliisq; eius generis, quales ſunt roſæ, humi fuſis: quod in cæteris qualitatibus, tum ſimplicibus, tum coniugatis facere oportet. Quinetiam caliditate ad intemperiem notabilem haudquaquam inclinante, leuiſſima utemur medicina, quæ uitioſos ſuccos, tunc generatos expurget: uerumenimuero tota aëris eſſentia corrupta uitiataq; euacuationibus corporis uniuerſi proſpiciemus. Atque etiam his quæ in totum peſtilentiæ aduerſantur, uictu refrigerante ſimul, & ſiccante utemur, qualis qui ex aceto, & lentibus parabitur: putredini ſi quis alius contrarius: proderit pariter aromatum ſuffitu coſti, ſtyracis galbani, terebenthinæ reſinæ, quæ peculiariter poteſt aërem purgare: prætereà theriace illa, quam magnam uocitant: drachmæ unius pondere mirificæ opitulabitur aëri peſtifero: ſumetur uerò omnibus rite peractis concoctionibus: qua aſſumpta, ſex horarum interuallo cibos nequaquam ingerat. Bolus item Armenius: terra quoque Lemnia eximie conferunt. Auenzoarus noſter hircorum urinam olfactu prodeſſe ſcripſit. Catapotia inſuper quæ aloës portiones duas,myrrhę,ac croci unam capiunt, ex uino diluto liquefacta,ac bibita,utilitatem ſummam præſtabunt. Nullum quippe uſquam uidimus, qui hoc medicamento, periculum peſtilentiæ non euaſerit: porrò abſtinendum à piſcibus uniuerſis,fructibus humidioribus, habitationibus montoſis, ſublimibusq;:facilime etenim qui ex his paritur ſanguis,putreſcit.

Carnes

Carnes item uitandæ exceptis quæ à montanarum auium genere expetuntur: ſub quo perdices, turdi, merulęq; continentur, & paſſeres montani. Cæterum aluum deijcientibus commodiſsime utemur: oxyphenicibus ſcilicet, caſia, melle aëreo, uiola purpurea, & id genus cæteris, quæ aliàs nobis copioſe dicta ſunt. Sed iam tempus appetit ut finem huic ſectioni imponamus, atque ad rationem curandi ueniamus.

FINIS.

AVERRHOI

DE RATIONE CVRANDORVM MORBORVM SECTIO TERTIA.

De *intemperaturis, quæ cum humoribus, & quæ citra humores conſiſtunt.* CAP. I.

TORVM quæ præter naturam contingunt, duplex differentia conſtituitur: Vna quidem ægritudinum: Altera (quæ eas comitantur) ſymptomatum. Atque item morborum duæ ſunt differentiæ. Alij nanque ſimplices, ſimilaresq; partes afficiunt, ut qui ab intemperaturarum aliqua oriuntur, quæ interdum cum humoribus, interdum uerò citra humores euenit: Alij autem diſsimilares inſtrumentalesq; partes infeſtant. Verumenimuero operæprecium me facturum uideor, ſi hoc noſtrum negocium eo digeſſerimus ordine, ut primò quidem ſimilarium ægritudinum medicationem doceamus, deinde inſtrumentalium: poſtremò ſymptomatum ipſorum: quæ tamen morbo ſublato abire quoque conſueuerunt: quare fruſtra quis dixerit, à nobis ſeorſum traditam eorum curationem, uerum dilucidioris doctrinæ gratia, id nos feciſſe exiſtimet. Initio igitur ſumpto à morbis ſimilarium, unicum curationis intemperaturæ citra humores ſcopum eſſe teſtamur: uidelicet, ut ad priſtinam, naturalemq; conſtitutionem, ac ſtatum, pars ipſa reducatur, idq; fiet contraria adhibendo, quibus intemperierum curatio perficitur. Sunt autem id generis alimenta, atque medicamenta, quæ primis ſuis facultatibus intemperaturæ, quæ morbum creat, aduerſantur. Eſto etenim ut quis ægritudine ab intemperie orta calida ſiccaq; laboret,

profectò ratione uictus frigida,atque humente, quinetiam medicaminibus uim refrigerandi humectandiq; obtinentibus probe opitulabimur. Hæc eſt autem illa,quam primo,& eſſentialiter (ut ſic dicam) per contraria fieri medicationem diximus. Ea uerò quæ ſimilibus peragitur,hoc eſt,ex accidenti,ſummopere uerenda eſt;ut cum aquæ frigidæ perfuſio affectum ab intemperie frigida profectum ſanat;meatus etenim conſtipantur,denſaturq; cutis, atque calor internus fit cumulatior pariter,& ualidior. Quamobrem ea nobis minime uſurpabitur, niſi ſi ad hanc nos traxerit neceſsitas: ne in eundem labamur errorem, in quem non pauciſsimi (ut poſtea docebimus) medicinæ profeſſores demerſi ſunt, eo curationis genere utentes. Rurſus ægritudinis,quæ ab intemperie ſuccorum exoritur, medendi methodus duas indicationes habebit: primam humoris noxij euacuationem: Alteram partis intemperatura affectę,uidelicet,dum uitiatus ſuccus in ipſam decubuiſſet,correctio. Porrò euacuatio multis conficitur modis:interdum enim ſanguinis miſsione: interdum medicamentorum purgatione;interdum uomitibus;eſt etiam ubi & clyſteribus,ſudoribus,atque urinam cientibus fiat: quæ quidem uniuerſa, medicamina ſecundis ſuis facultatibus,atque tertijs,adde etiam proprietatibus concinnant: quippe ſimilaris corporis alteratio, quando à naturalis temperamenti alteratione morbum ortum habuerit,poteſtatibus medicamentorum primarijs efficitur. Quinetiam euacuantur,qui ſunt in corpore humores,inedia,exercitatione, lauacro, atque frictionibus, uerum quæ ſanguinis detractione fit euacuatio,ratione, experimentoq; ſatis ſuperq; cognita eſt. Sed potiſsimum quod ab experientia proficiſcitur auxilium,in confeſſo eſt: quod autem ab ipſa ratione eſt,bifariam conſtituitur.Primò quidem (ut identidem oſtenſum eſt) quoniam medicus naturæ motum idoneum, atque conuenientem ſemper imitatur, natura uerò multas ægritudines à ſanguine exortas,profuſione ſanguinis ſa

nis ſanat: atque eadem erit uia, ac methodus inueniendi uſus medicinarum purgantium. Secundò quandoquidem creberrime euenit, ut alimenta immoderatius ingeramus, quò fiet, ut ſanguinis copia immodica accumuletur, aliuśue humor exuperet, quæ ſanè corpus, aut uenæ ſectione, aut purgatione, aut alia qualibet euacuatione, ſummopere indigere teſtantur. Nempe ad mediam exercitiuḿue ſolum medentis conſilium dirigi minime ſufficit: dum ſcilicet affectus, qui à plenitudine, quæ eſt ſecundum uaſa, originem trahunt, curare ſtudemus: illa nanque lentius, tardiusq́; euacuant. Præterea tale quid poſſet uſuuenire, quod illi contigit, qui per inſomnium putabat ſanguineo lauacro immergi, atque lauari, quod nos in ſectione, quam de ſignis conſcripſimus, aliàs recenſuimus. Hic igitur conſiliꝝ gratia ad Galenum quoque adit, illiq́; affectum omnem recenſens, tandem inſomniꝝ hiſtoriam adiꝝcit: quibus perſuaſit ſibi Galenus, & probe uereq́;, ſanguinem in homine auctum immodice: ideoq́; uenæ ſectionem fieri præcepit, uerum Galeni conſilio haudquaquam parens, Eraſiſtratios quoſdam medicos adiꝝt, qui miſsione ſanguinis (ut ſolent) neglecta, mediam ſolam præcipiunt: qua obſeruata fuſi liquatiq́; humores, calorem immodice ſuccenderunt, & tandem extinctus eo ſcilicet pacto, quo ab infuſo præter modum oleo lucernæ lumen ſtrangulatur. Quando uerò ſingulæ nuper dictarum euacuationum uſurpandæ ſint, & hanc an illam multum interſit adhibere, in primis definire aggredior. Sunt itaque, quæ ſuadeant, ac diſſuadeant euacuationem, affectio, uires, laborantis temperamentum, ætas, anni tempus, atque ipſa regio: uniuerſim autem ac ſummatim aſſerimus minime euacuationes moliendas, niſi ubi à modo, habituq́; naturali humores diſceſſerint, ſiue in toto corpore, ſiue in partibus quibuſdam corporis, idq́; uel quantitate, uel qualitate, uel utraque uitiati. At quantitatem quidem ſatis indicat tẽſionis quidã ſenſus, haud abſimilis huic, qui poſt labores, exercitiaq́; percipitur. Eſtq́; plenitudo

illa uocata ſecundum uaſa, hoc eſt, quæ conſiſtit fuſis per uaſa humoribus. Altera autem quæ eſt ut ad uires plenitudo, tum à quantitate, tum à qualitate prouenit: ab eaq; facultates, quæ & alendi & mouendi munus obeunt, grauantur, atque (ut paucis abſoluam) poteſtates omnes, quæ functiones corpori ſuppeditant, quibus imbecillioribus, infirmioribusq; factis ſuccorum quoq;, qui in corpore ſunt, temperamentum naturale, ſimul ac modus uitiatur. Quamobrem ut plurimum, poſtremò dicta plenitudo, laborem ulceris ſenſum referentem parit, quem ſanè improbi, uitiatiq; ſucci, qui ab hac plenitudine procedit, eſſe ſobolem nemo neſcit. Cæterum miſsionem ſanguinis faciendam eſſe potiſsimum cenſemus, ubi omnes ex æquo ſucci, qui in corpore habentur, immodice ſuccreuerint, hoc eſt, quantitatem quæ ſecundum naturam illis debetur, prætergrediuntur, quod fit ſanguine plus iuſto adaucto, qui cæteros humores poteſtate in ſe continet, cuius incrementi immoderati nota non exigua eſt labor tenſionis ſenſum adferens: uerum quod minus ſuadet uenæ ſectionem, eſt ubi in quali ac quanto à modo naturali abeunt humores: qui item ſi qualitatibus ſuis ſanguinis qualitati haudquaquam aduerſentur, & minime crudi per corpus, atque lenti fuerint, utiliſsime detrahi poſſe ſanguinem demonſtrant. Atque interdum ex accidenti ſanguinis miſsio fit, ubi uidelicet è naribus, aut hemorrhoidibus, aut menſtruis, & huiuſmodi alijs ſanguinem prouocamus: id quod tamen quanta cura poterimus, uitandum nobis erit. Præterea huiuſmodi euacuatio fit nonnunquam, ut à parte ad partem tantum reuellantur ſucci, nec foras è corpore propelli oportet, quandoquidem paucus ſit in homine ſanguis, atque is nihilo minus uitiatus. Rurſus utroque medendi genere aliquando utimur, hoc eſt, & euacuamus, & auertimus, quando ſcilicet humorem, qui morbum procreat, auferimus, & ne rurſus fiat, augeaturq;, præcauemus: omnino uerò memoria firmiter tenere te uelim, à uicinioribus eſſe uacuandum, tunc cum

medentis

medentis cõſilium ad ſolam euacuationem dirigitur:quando uerò reuellere oporteat,& ad contraria trahere à remotioribus locis educendum:plenius autem & accuratius de his mox diſſeremus. Cæterum uariæ illæ indicationes faciunt,ut multum interſit, hanc uel illam uenam incideris: quippe aliàs internam ſecamus,aliàs humeralem,aliàs mediam,quinetiam aliquando quæ ſunt in dextro brachio,interdum quæ in ſiniſtro diſſecantur.Hac uerò ſpeculatione de miſsione ſanguinis abſoluta,ſuccedit de ea,quæ per medicamenta fit, euacuatione oratio. Purgatio igitur tunc maxime adhibebitur, quando ſucci ſola qualitate uitiati abundant,cui ſcopo, illum quoque retro nobis ſcriptum, adiungemus,hoc eſt,ne adſit crudorum ſuccorum, ac lentorum copia:quandoquidem tunc de concoctione & medicaminum incidentium exhibitione,ineundum eſſet conſilium,atque præmittendum. Quamobrem aduertendum diligenter,ubi ſit præmittenda uel ſectio uenæ, uel purgatio.Raſius etenim literis prodidit, ſeſe frequentiſsimo experimento comprobaſſe(ſuſceperat nanque eos, qui in noſocomio ægrotabant curandos)pleuritide laborantes interijſſe, quibus detractio ſanguinis ante purgationem adhibita fuiſſet: quorum rationem hanc ego quidem eſſe puto,quòd in penitiori corpore ſuccorum uitiatorum copia immerſa latebat, quæ ubi mota,agitataq; fuit, & in actum (ut ſic dixerim) producta,pernicie̅,mortemq; ęgrotantibus attulit:quandoq; uerò cogimur ſanguinem prius detrahere, quàm purgatione uti: auxilium etenim id eſt præſentiſsimum quibuſdam morbis:quare ad id,quod magis urget,animum conſiliumq; medicus debet apponere, atque ab eo exordiri curationem:ueruntamen mihi in primis charus Auenzoarus,in ea eſt hæreſi,ut purgatio miſſionem ſanguinis præcedere debeat,quandoquidem uenæ ſanguine inanitæ ſuperuacaneas ſuperfluitates,& ad alendum non idoneas exugunt,ab hisq; uitioſa intemperatura afficiuntur:quare ſectio uenæ etiamdum aluum aſtrictio-

rem reddet,partibus ſcilicet exhauſtis,exuctu quodam excrementa arefaciẽtibus. Porrò inter purgatorium & emolliens medicamentum hoc intereſt,quòd illud quidem ſuccos attrahit,hoc uerò aluum tantum mollit & ſtercora educit. Abſtinebimus item tum à purgatione,tum à uenæ ſectione,ubi craſſorum lentorumq; ſuccorum & crudorum collecta per corpus fuerit copia,atque is qui mittendum ſanguinem uetat,ſcopus patet:qui uerò purgationem prohibet,definiendus. Erunt igitur craſsitudo, atque lentor, quæ non ita facilem faciunt purgationem,attrahet namque, atque euacuabit medicamentum probos ſimul ac familiares ſuccos:improbos autem pariter & alienos,utpote contumaces,ac rebelles,relinquet. Porrò Galenus noſter non febricitantibus purgationem per ea moliebatur, quæ uim & calefaciendi,& diſſecandi obtinent. Iam uerò febre correptis, frictionibus, atque medicaminibus attenuantibus, ſimul mediocri calore præditis uacuationem promouebat, id quod tum in ſectione de tuenda ſanitate,tum ea quæ eſt de febribus,ad unguem expoſitum eſt. Rurſus quemadmodum nuper nobis dictum eſt de ſanguinis detractione, fit quoque ex accidenti purgatio,ut cum purgantem medicinam exhibemus profluuio alui laborantibus, quæ ſuccum quidem morbum facientem depellit, atque euacuat, cauſamq; adimit,affectum uerò ipſum uehementiorem & auctiorem reddit,quod num à ſimili,an à contrario contingat,poſteà uberius diligentiusq; docebimus. Nunc ad clyſteres accedamus, quibus tantum utimur ad excrementa alui educenda:aut ad contrarium ſuccos auertendos: nonnulli autem eos infundunt iis, qui ægrè medicamentum purgatorium aſſumunt, atque item iis quibus uel iecoris, uel uentriculi uitium contractum fuit:nempe à medicamento purgante pars utraque ſolet affici. Atque ut in totum dixerim,utiliſsime iniiciuntur affectionibus, quæ ab alui aſtrictione oriuntur & inteſtinorum ulceribus,inflammationibus,doloribus,& renum,ueſicæ, atque coxendicis affecti

affectibus. Ex his uerò alij mites, alij acres, quidam ſimpliciſsimi: quidam ex multis præſidijs confecti. Porrò balnea tenues ſuccos diſcutiunt, atque euacuãt, quare ubi à craſsis uiſcidisq; humoribus aggeneratos morbos curabis, ab his abſtinendum cenſeo, ne in deterius decidat corpus: ſolet etenim humorum moles inflammari, ſi ante concoctionem quis lauetur, quinetiam interdum partes principes uitiantur, atque inflammatione tentantur: fames item in præſidiorum numero, quæ facultatem uacuandi obtinent, collocatur: potiſsimumq; in ægritudinibus, quæ proximum uigorem atque indicationem habent. Hactenus de intemperaturæ, ſiue cum humoribus, ſiue citra humores factæ, euacuationibus.

Quando ſint faciendæ euacuationes. CAP. II.

PRoximum eſt, ut definiamus modum eorum, quæ retro dicta ſunt, ſecundum maioris minorisq; differentiam. Atque ubi omnino his ſuperſedendum, maxime euacuatione, & quæ fit per contraria, curatione. Quippe identidem uſuuenit, morbum quidem ſuadere euacuationem, & contrarij adhibitionem, cæterum alia ſubeſſe quæ prohibeant quominus ipſis utamur. At intemperaturæ, quæ citra humorem infeſtat, medicatio contraria adferendo peragitur: ueluti ſi ita contigerit, quòd in duobus uel tribus gradibus ad quandam intemperaturam quis decidat, tunc ſalubrem cauſam in huiuſmodi affectu eſſe oportet, quæ contrarietate duobus tribusq; gradibus pugnet aduerſus intemperiem illam, quam utique compertam habere minime poſsis, niſi prius dum ſanitate frueretur, hominis temperaturam percognitam tenueris: ad hæc regionem, ætatem, anni tempus, uictus rationem, conſuetudinem, uirtutem deniq;, & cauſam. Atqui ſæpius cauſam uirtutemq; conſiderare prætermittimus, niſi ſi intẽperatura humoribus afficiat. Quando autem pars quæpiam intemperie citra humores corripitur, tunc indicationes curationis per contrarium deſumuntur

muntur à partis ipſius temperamento, uſu, ætate, ſitu, poſtremò ipſius ſenſu: uerum intemperaturarum cum humoribus curationis meta eſt, euacuatio. Cauſas autem quæ excrementa illa pariunt, conſyderabimus, an ſcilicet à corporis affecti tẽperamento efficiantur, an non. Solent etenim in pleriſq; naturis hominum talia immodicè accumulari, ac colligi, in quibuſdam uerò ætas, anni conſtitutio, cœli ſtatus, alimenta, & omnis uictus ratio huiuſmodi ſuperfluitatum prouentum adferunt. Quinetiam conſuetæ purgationes retentæ, cuiuſmodi hemorrhoidarum, menſium & aliorum conſuetorum profluuiorum, excrementa efficiunt: exercitationum item derelicta conſuetudo, ſimul & expurgationum. Ad hæc uirtus quoque non mediocriter adiuuat, quippe maxima ex parte ægritudo ipſa euacuationi aduerſatur. Cum uerò uirtutem dico, intelligere te uelim facultates munere aliquo fungentes in corpore, ueluti expultricem, motricem, atque altricem. Cæterum indicationes euacuationis, quam uniuerſalem uocitant, interdum aſſumuntur ab affectis partibus, præcipueq; ſi ex numero principum fuerint, & earum quæ munia obeunt præſtantiora, cuiuſmodi eſt uentriculus. Nempe ſi quis detractione ſanguinis indigens, os uentriculi affectum imbecillumq; habeat, ab hoc auxilio ſanè quidem abſtinebimus. Quando uerò partem aliquam priuatim ſeorſumq; expurgare ſtudemus, ea (quæ nuper dicta ſunt) ſitum, uſum, ſenſumq; contemplabimur, ab hisq; indicationes trahemus. Quinetiã ab ipſius corporis tota conſtitutione, quæ interdum euacuationem poſtulat, interdum uerò recuſat, quod poſtremum accidit, dum plenitudo adeſt non toti corpori, ſed priuatim uni particulæ. Prætereà uteri in mulieribus geſtatio aliàs euacuari debere, aliàs minime oportere ſignificat. Sed de his ſatis quę ſuadeant uel diſſuadeant purgationem: nunc de curatione per contraria agendum. A pleriſq; igitur omnibus priſcis medicis proditum eſt literarum monumentis, hominis temperamentum tunc parum à naturali conſtitu

conſtitutione declinare,cum aut naturæ,aut ætati,aut ambienti nos aëri,aut anni tempori, aut denique regioni,& aliis huiuſmodi, congruit morbus: ueluti cum quis adoleſcens,temperaturam calidiorem obtinens,in regione calida,conſtitutione anni calida,& qui uictus ratione calidiore antea uſus, à febre ardente corripitur, huius quidem temperaturam pauco uitio tentari ſcire te oportet. Quare præſidijs opitulabimur modice refrigerantibus. Quòd ſi contrà acciderit,ſenem ſcilicet, cuius temperamentum ſit frigidius,in regione frigida,& anni conſtitutione, pari ardente febri affici,à naturali habitu longiſsimè abeſſe,& non exiguam temperaturæ alterationem factam meminiſſe te uelim. Curationem itaque moliuntur cum inſigniter refrigerantibus. Horum ego opinionem argumentis manifeſtiſsimis, ualidiſsimisq; refellere tentabo: ille etenim adoleſcens febre ardente laborans,opem ſentiet,tantum ab extreme,eximieq; frigidis,è quorum numero caphura & cucumerum aqua:quæ ſeni exhibita pari febre correpto, calorem eius internum extingunt, atque ob id perniciem, mortemq; accerſunt, uerum quod in errorem tales uiros adduxit,unum eſt. Quippe exiſtimarunt eundem æqualemq; ſemper eſſe in iuuenibus,atque ſenibus natiui caloris in externum receſſus modum,ac menſuram:quod ſanè abſurdum eſt,alioqui quæ uehementius refrigerarent, hoc eſt,tertij abſceſſus medicamenta,ſenibus utiliter præberentur:ſic nanque uia ac ratio curandi intemperaturas nos docuit. Eſto igitur,iuuenis bilioſus primo numero ordine ue calorem obtinens,febre corripitur,& ea quidem, quæ calidum ſecundo abſceſſu efficiat:is profectò uno tantum numero à ſua temperatura, inſitaq; caliditate aberit, quamobrem commode non medebimur ijs, quæ ordine ſecundo ſunt frigida:nempe nimiam accipiunt alterationem in hominis iuuenis corpore ab igneo,acquiſititioq; calore. Verum ſi nuper dictus ſenex primo ordine frigidus ab ægritudine quapiam afficiatur;quæ ſecundi abſceſſus calorem

euocet,quis quæſo,negauerit hunc magis quàm illum adoleſcentem à temperamento proprio, natiuoq; diſceſsiſſe? unus nanque unico tantum abeſt numero,alter uerò duobus uel pluribus.Quamobrem curationi medicorum(quos retro iam diximus) adhærendum non eſt. Quippe remedia,quæ indicantur à receſſu illo naturalis temperamenti, non omnino ſecura ſunt ſenibus, mortemq; ut plurimum adferunt,quandoquidem principum partium,atque nobilium mediocritatem uitiant ſua ui refrigeratoria, quo fiet, ut auctior,ualidiorq; euadat ametria, quam eſſe ægritudinis interitusq; cauſam,in confeſſo eſt.Pręterea qui priorem opinionem inuexerunt, eiuſdem abſceſſus præſidia frigida,ſenum atque iuuenum debere eſſe cenſent, hoc quidem argumento,quòd corpora calida primò,caliditatem ſecundi ordinis conſequuntur: quæ item ſunt frigida numero primo,calorem ſecundi adipiſcuntur.Nec eſt alterum altero calidius. Quinetiam ſi adoleſcens frigidioribus,quàm naturæ ſuæ congruat, medicaminibus utatur, nullum ab his incommodum percipiet,at potius utilitatem conſequetur,uirium etenim robur adeò ualidum obtinet, ut facilè ipſorum uim demutet,alteretq;: quare naturam hominis haudquaquam uitiant,ſed tuentur, atque ad temperationem reuocant.Contrarium autem ſenibus uſuuenire ſolet ob partium fere omnium,ac præcipuè principum imbecillitatem frigiditatemq;: propterea ſeni,qui ualde deurenti febre laborauerit,idonea erunt, quæ ſecundo abſceſſu refrigerant,idq; rationibus prædictis liquidò patet. Ad hæc quoniam non æquè poteſt medicamenta uincere ſenum calor, atque iuuenum,& in ſubſtantiam igneam demutare. At quis rogabit,cur ſenibus uſqueadeo calidæ febres eueniant:Cui in promptu reſpondere potes, præpoſteram uictus rationem talium febrium cauſam eſſe,nempe ſi proba uterentur,uix accenderentur in ſenum corpore ita acutæ febres. Nos utiq; in ſectione, quam de morbis ſcripſimus, ægritudinum cauſſas duas tantum eſſe docuimus: unam

quæ ab

quæ ab intemperatura particulæ peculiari desumitur. Alteram quæ ab exterioribus cooritur. Si igitur temperatura laborantis, ætas, aër nos ambiens, regio denique, morbo senum aduersantur, protinus consilium medentis dirigetur ad solam uictus rationem. Atque (ut in totum dixerim) ubi aër ægritudini repugnat, utilitatem eximiam ægrotanti pariter, ac summam uoluptatem medicanti adfert. Quamobrem si talis non fuerit, qualem diximus, artificio elaborabimus, ac parabimus eo ipso, quod in sectione de sanitate tuenda indicauimus. Cæterum qui à consuetudine expetitur scopus in medendo, an scilicet quid fieri debeat, an non: & si fiat, quo pacto, quáque mediocritate id efficiatur, nunc definietur exemplo potionis aquæ frigidæ in febre ardentissima. Nempe si qui laborat, dum sanus degeret, aquæ frigidæ potui assueuit, intrepidè, ac tutò (uel iocinore oreq; uentriculi imbecillis) illam propinabimus, quòd si contrà non assueuerit, sine periculo exhiberi non potest: uerum necessitate plerunque adacti illam bibendam præbemus, sed & parcius, & minus gelidam. Quid autem consuetudo, quæ est acquisita natura, ualeat, satis superq; nosti: atque etiam subitas omnes, ac repentinas mutationes pernicioſas: paulatim nanque ac sensim progrediendum, cum ab altero ad alterum transitus fit, id quod potissimum à prudente natura in constitutionum anni mutatione obseruari spectamus: lente quippe ac gradatim à contrario in contrarium pergit, alioqui si derepente frigus immodicum calori succederet, intolerabile id animantium generi foret. Sunt uerò qui tantam uim consuetudini tribuant, ut asserant fuisse quosdam, qui à teneris uenenis edundis assuescerent, nullum ab his incommodum sentientes, sed alimoniam ex his, quemadmodum ex probi succi edulijs, suscipientes. Quorum ego sententiæ minime accedendum arbitror: quare in libello de theriaca & uene-

nis multis demonſtrationum argumentis docui, illos grauiſsimè peccare. Quòd autem auxilia eſſe mutanda cenſent, nec unico tantum utendum, probè quidem dictum eſt, ne ſcilicet natura aſsiduo uſu corpori aſsimilaret medicamentum, atque id, quod præſtare debuit, impediat. Porrò nemo neſcit uirtutem maxime eſſe ſpectandam, ubi euacuationem cogitamus. Alterationis uerò modum indicabunt, qui ecticis febribus correpti aquæ egelidæ balneo lauantur, utiliter quidem primo, ſed ſi diutius uterentur, partes ipſorum principes uitiarentur, mortemq; indubitato obirent: quod Galenus noſter multis in locis doctiſsime tradidit: exemplisq;, atque hiſtoriis confirmauit: cuiuſmodi eſt illa adoleſcentis intemperie citra humorem affecti, qui cum ſummopere aquæ frigidæ potionem expeteret, hancq; medici denegarent, ſtatuit moriendum ſibi potius, quàm ſic excruciari. Quare auidiſsimè atque immoderatiſsimè frigida exhauſta, ſtatim ab intemperatura liberatur, uerum eximia aquæ frigiditas deglutitionis functionem inſigniter læſit, atque tandem miſerrimus ille medicorum inſcitia interijt. Præterea intemperamenti, quod cum humoribus conſiſtit, medicatio, duos ſcopos obtinet: interdum etenim indicatio ſumetur ab alteratione intemperiei diuerſa ab ea, quæ ab humoribus intelligitur. Exempli gratia, febres quæ ab ſuccis putreſcentibus ortum habent, potiſsimumq; à craſsis, lentis atque crudis, quatenus intemperatura conſtant calida, ac ſicca, medicaminibus indigent refrigerantibus ſimul ac humectantibus. Quamobrem concoctioni (qui alter eſt ſcopus) maxime obſunt. Oportet igitur natura prudentem & experientem hic eſſe medicum, ut inde utilitatem, non perniciem conſequantur laborantes: quippe quod in primis eſſe neceſſarium, idoneumq; pituitoſæ febris curationi exiſtimamus, ab euacuatione proficiſcitur uitioſorum ſuccorum, quod non idem accidit bilioſis febribus, quandoquidem ipſarum ſympto-

matis

matis ſolum occurrere debemus. Atqui ſi utrunq; parem uim conſyderationis poſtulet, tunc æquam utrique medicationem adhibendã eſſe putato. Quando uerò à ſymptomate periculum non imminet, cauſſæ ablationi modis omnibus ſtudendum eſt, quippe eo pacto exquiſita fit morbi curatio. Ad hæc ubi ægritudo, & ſymptoma huic ſuperueniens, contraria fuerint, ueluti febris ac ſyncope, ſic erit opitulandum: febri nanque refrigerantia apta ſunt: animi uerò deliquio calefacientia: atque illa uacuatione indiget, hæc autem alimento. Quinetiam ſymptoma illud contrarium ad morbum contrarium primò ſequitur, cuiuſmodi defectus animi ab inanitione factus. Aliter uerò in diaria contingit, in qua uidelicet citra humorem cauſa conſiſtit: atque item aliter, quando ab exterioribus intemperies generatur, cuius curationem te ignorare non arbitror. Hactenus de totius corporis intemperaturæ indicationibus.

Curatio quæ ſingulis partibus debetur. CAP. III.

NVnc ad eas, quæ priuatim ſingulis partibus debentur, noſtra ſe uertat oratio. Si igitur in una corporis particula ægritudo conſiſtat, quemadmodum ſi cerebrum intemperie frigidiore afficiatur, mitior quidem ac leuior erit morbus, quippe haud ita multum ſymmetriam naturalis temperamenti prætergreditur, quare præſidia modice calefacientia idonea erunt cerebro: at partes aliæ refrigerari ualidius debent. Hic autem eaſdem aſſumemus indicationes, quas ſuprà cum de ſene ac iuuene fieret ſermo, ſcripſimus. Cerebrum igitur tutò calefacere potes, refrigerare non citra periculum: cæteras uerò particulas, quæ temperamento ſunt frigido, quales nerui, ſi à frigore læſionem traxerunt, utiliter ac ſecure calefacies, idq; non immodice faciendum, ne à ſua temperie abſcedant. Eadem de ſiccis atque humectis dixiſſe putato, quoniam partibus noxa tantum accidit ab elemento in ea præpollente. Maximam

uerò ſollicitudinem habendam tibi eſſe cenſeo,cum partis affectæ magnum in corpore uſum cognoueris: id genus ſunt partes principes, quæ eximiè neceſſarijs functionibus præditæ ſunt. Quippe ipſarum robur fouere,atque adaugere penitus conaberis,ne per conſenſum (ut fieri ſolet) nobiliſsimum cor,à quo calor omnis natiuus, ac denique uita ipſa dimanat,uitietur. Quamobrem in talium morbis, uehementer contrarijs non erit utendum, potiſsimumq; ubi refrigeratione opus eſt. Iocinori etenim uel immodice calefacto uerebimur auxilia adferre exquiſite refrigerantia,quandoquidem opus eius omnibus particulis eſt neceſſarium. Intelligens igitur partium omnium tum functiones,tum uſus (quos in alia ſectione indicauimus) haud difficulter inuenies,quatenus cuiusq; robur cuſtodiri debeat: probe inſuper dictum eſt,ſocietatem conſenſumq; non exiguam nobis indicationem ſuppeditare,ueluti cum ori uentriculi calidiori refrigerantia immoderate admouemus,cerebrum ipſum uitiari neceſſe eſt,quod natura eſt frigidius. Neque item iecur inſigniter refrigerandum, propter eius cum corde ſocietatem. Cæterum iſtæ uniuerſæ indicationes,quæ calori contraria, magnopere non eſſe adhibenda demonſtrant, propter unicum cor, cuius officij dignitas maxima eſt;atque ægrotantibus maxime omnium neceſſaria, quodq; poteſtate particulas alias continet, quamuis unum actu,& energia exiſtat,id quod in ſectione,de functionibus ſanitatis nuper nobis ſcriptum eſt. Quinetiam ſumma cura aduertes,iocinore intemperie calida laborante, cor non eſſe negligendum, ubi curationem aggrederis: etenim id medicamentis,id genus facultatem habentibus, refrigerabis: quoniam identidem caloris iocinoris cauſa exiſtit. Verumenimuero non ſolùm nos oportet conſilium dirigere ad calfaciendum,refrigerandum, humectandum, atque ſiccandum cor,ſed etiam ad poteſtates & functiones auxiliorum ſecundas, tertiasq; uocitatas. Poſtremò à ſitu indicatio aſſumetur, quæ etenim per ſumma corporis intemperie

temperie laborant,imbecilliora præſidia poſtulant.Quibus autem in profundo corpore intemperatura conſiſtit:utiq; multo ualidiora exhibebimus, alioqui multo infirmiora quàm pro uſu tuo ad locum peruenient:ſoluitur nanq; ratione longioris interualli uis medicamenti, quod maxime teſtantur pulmonis ægritudines.

De *miſsione ſanguinis.* CAP. IIII.

REſtat,ut indicationibus contrariorum expoſitis,duas præcipuas euacuationis differentias, purgationem, atque ſanguinis miſsionem explicemus,quarum uarię ſunt indicationes:igitur in uenę ſectione attendenda ſunt in primis,uirtutis robur,atque imbecillitas, uehementia morbi, ſiue adſit,ſiue futura ſit,ætas,anni tempus, regio,præſens aëris conſtitutio,uita antè acta,conſuetudo,denique omnis uiuendi ratio:quæ uniuerſa concentu quodam ac concordia,ſi detrahendum eſſe ſanguinem ſignificent, audacter intrepideq; uenam incides, unoquoque diligenter conſyderato,ne pars quæpiam corporis affecta id prohibeat,ueluti cum quis uentriculi os refrigeratum obtinet,ſimul ac nauſeabundum & imbecillum.Porrò ætas in qua potiſsimum uena utiliſsime ſecatur,ea eſt, quæ florens ac uigens dicitur:poſt quam facile tolerant & ij, qui ſeptimum ſeptennium ingreſsi ſunt, idq; interdum ad ſeptuageſimum uſque annum, uerum minor,parciorq; euacuatio fiet, quàm cæteris. Quibuſdam autem octogenarijs citra periculum & commode mittetur ſanguis. Pueris uerò ante decimum quartum annum Galenus omnino uetat detrahi, quanquam Auenzoarus memoriæ dederit,ſe filiolo trimo uenã diſſecuiſſe,atque hunc à morte tali remedio liberaſſe.Qui uerò uiribus infirmioribus degunt,in totum ab huiuſmodi euacuatione arcendi, quippe ſanguine miſſo uirtus ſemper ijs extreme concidit, nec poſtea reuocari,recolligiq; poteſt. Quòd ſi uitæ diſcrimen, iacturamq; futuram(ut in ſenibus apoplecti

apoplecticis) & alijs ipſorum morbis peruideas, ſanè id genus auxilij uſurpabimus, prudenter tamen & moderatè uacuantes. De temporibus autem anni, uer accommodatiſsimum uenæ inciſioni. Aeſtas maximè, ſi conſtitutionem ſuam ſeruauerit, inimiciſsima: exoluuntur etenim facilime ſpiritus ac uires, imbecilliores q; ſunt: quare ſi neceſſariã miſſionẽ ſanguinis perſpexeris, modica ſit oportet, atq; parca. Hyems quoque uetat: concreſcit nanque tunc ſanguis ſimul ac conglaciatur, craſſeſcit q;. Poſtremò autumnus ſiccitate caliditate q; aeſtati proximus, talem euacuationem interdum diſſuadet, tum propter uentorum tumultus, qui in eo excitantur, tum ob inconſtantiam ſuæ conſtitutionis: interdum item autumno quibuſdam uenæ ſectio conuenit, natura ac morbi magnitudine cogente. Quantitas autem ac menſura minor erit, quàm ea, quæ uere detrahitur. Præterea ubi intendimus partem unam tantum corporis uacuare, in qua plenitudo quoque conſiſtat, tunc ſanguinis quantitati educendæ mentem adhibebimus, nec uno impetu id faciemus, ſed iterando, quippe confertim facta euacuatio inſigne periculum quandoque adfert.

De *purgatione*. CAP. V.

NVnc de medicamentorum purgantium potione diſſerendum eſt: cuius modum ac menſuram exacte perpendemus. Hanc igitur neque pueri, neque extrema ſenectute confecti aſſumere debent. Tempora autem anni purgationi conuenientiſsima, ut prodiderunt doctiſsimi, antiquiſsimi q; medici, uer atque autumnus: quoniam ijs conſtitutionibus ſucci à mediocritate naturali, qualitate tantum declinant. Aeſtate item atque hyeme euacuatio quæ fit per medicamenta, noxia eſt: illa nanque ſiccitatem, caliditatem q; immodicam inuehit: hæc ſuccos contumaces ac rebelles efficit. Porrò qui ſanitatis tuendæ gratia medicationibus tantum utuntur, conſtitutione temporis pluuia, atque humidiore purgabuntur: quippe huiuſmodi aëris conditio

conditio ac ſtatus peropportuna ſunt. Conſuetudo inſuper magnum in hac re (ſicuti & in alijs rebus) habebit momentum. Quinetiam aliquam corporis partem purgaturi eius tum poſituram, ac ſitum, ac denique cum alijs ſocietatem & conſpirationem exquiſitè contemplabimur, quod nos ſuprà de uenæ ſectione propoſuimus, cuius quoque nunc meminiſſe non erit alienum. Cerebrum etenim cum quis euacuare uolet miſsione ſanguinis, humeralem uenam diſſecabit, quæ cerebro magis conſentit, quàm interna. Auerſionis item gratia prædictas indicationes ſpectamus, quippe menſibus immodicè profuſis ad mammas cucurbitulam agglutinamus, atque profluente è naribus immoderatius ſanguine, ſi quidem è ſiniſtra nare fiat, lieni: ſin è dextra, iocinori applicamus cucurbitulas. Quòd ſi ſuperiora laborauerint, inferiorem euacuationem præcipiemus: quoniam id genus auxilium, tum uacuat, tum auertit. Quamobrem eximiè confert uomitio affectibus partium infernarum: purgatio uerò ſupernas tollit ægritudines. Prætereà à membri figura ac formatione ſcopos indicationum habebimus: uentriculus quidem uomitu deiectioneq; uacuatur. Iocinoris gibba oper urinam, ſi modico ſucco referta ſint: nam ſi plurimo, pharmaca deiectoria quoque tolerant: ad hunc modum, caua deiectione tantum purgantur. Quinetiam ipſa inteſtina, ac denique renes & ueſica per canales urinales, ſi paucus ſit ſuccus: ſin autem multus utiliter deiectorijs medicamentis expurgabuntur. Quamobrem prudenter quoque ſeſe gerere debet medicus, dum interiorum abſceſſus curat, nempe purgantium pharmacorum tranſitu irritari ſolent, atque inflammari, niſi ſint ex his, quæ noſtrates imbecilliora, benigniora q; docuerunt: gargariſſatus item gulæ inflammationes, atque abſceſſus adaugent. Quoniam autem non parua eſt functionum (ſicuti aliàs ſcripſimus) dignitas, atque nobilitas, ad ægros conſeruandos, ſed aliæ magis his, aliæ minus ſalutares ſunt: equidem ad portionem actionum dignitatis etiam uſus

atque nobilitatis cuiuslibet particulæ conſulendum eſt robori:oportet etenim minorem maiorem ue ſocietatem cum corde habere.Exempli gratia:Iocinoris abſceſſus qui ad uigorẽ peruenit,diſcutientibus ritè,ac meritò curari poſtulat, quemadmodum aliꝭ omnes abſceſſus: partis uerò ſummus in corpore uſus facit,ut adſtringentibus aliquantum odoratis utamur. Non prætereunda uerò intentio,& ea quam particularum ſenſus acuitas,hebetudoq; præſtant,quando quæ acutioris ſunt ſenſus,uehementia medicamenta haudquaquam ferunt.Cæterum medicorum nonnulli putarunt intemperiem ex ſe,ſucci,qui eam peperit, euacuatione nequaquam indigere:quos ego quidem cenſeo,purgationem intellexiſſe,quæ intemperaturam plerunq; adauget. Sunt prætereà aliꝭ exiſtimantes in febrium acutarum initijs deiectionem omnino uitandam: ſuccis uidelicet contumacibus,ac rebellibus exiſtentibus:de hoc uerò infrà diſſeremus uberius.Iam ad Hippocratem ueniamus,qui ſcriptum reliquit,mulierem uterum gerẽtem,cui detractus ſit ſanguis, abortire:& alibi uterum geſtantes eſſe medicandas, ſi materia turget,quarto menſe,& uſque ad ſeptimum. Hoc in loco non poſſum non magnopere angi,atque dubitare,cur purgationem uenæ ſectioni prætulerit.Ego ſanè (ut ingenuè quod ſentio,fatear) ſanguinis miſsionem,ſi adſit plenitudo,qua fœtus nõ egeat,haudquaquam reformidarem: deiectionem autem quæ medicaminibus purgantibus efficitur,omnino uitabo, quandoquidem (ut ſummatim dixerim) à purgatione nullus commodus finis prouenire poteſt:fœtum nanque uitiat purgans medicamentum,ob deleteriam, qua conſtat, eſſentiam:quinetiam ad fœtum improbos ſuccos defluere,ac decumbere cogit,qui hunc inſigniter afficiunt:purgatoria inſuper medicamina urinam citant: hæc autem menſes appellant: quæ item menſtrua prouocant,abortum uterum gerentibus adferunt. Hactenus de ijs quæ generatim uniuerſimq; ſumuntur indicationibus rationis medendi,quæ tanquam capita,ac principia

cipia curanti neceſſaria ſunt. Reſtat igitur omnem intemperiem, ſiue cum humore, ſiue citra humorem conſiſtat, aut toti accidere corpori, cuiuſmodi eſt febris, aut uni tantum particulæ. At quæ cum humoribus fit, duplici conſtat differentia, quippe aliquando in partis cauitate, aliquando in ipſius eſſentia infixa, impactaq; eſt, idq; citra tumorem interdum: aliàs autem cum tumore, qui abſceſſus uocitatur. Verum initium faciemus ab intemperie toti corpori communi: deinde eam, quæ unicuiq; parti aduenit, definiemus: poſtremò de abſceſſuum curatione.

Omnium diariarum febrium curatio generatim.

CAP. VI.

DE ephemeris primò ſermo nobis habendus eſt, quarum curatio duas indicationes obtinet: unam quæ docet intemperiem calidam, ac ſiccam refrigerando, humectandoq; auferendam, & ad temperamentum reuocandam. Alteram quæ cauſsis externis, atque euidentibus repugnandum ſuadet: quandoquidem diaria nihil aliud eſt, quàm intemperatura citra humores à principientibus, ut plurimum orta cauſsis. Quatenus autem ſit refrigerandum, atque humectandum, multa nobis indicabunt: in primis ægrotantis temperamentum, ætas, aëris conditio, anni tempus, regio, atque conſuetudo: poſtremò cauſſæ, quæ hanc febrem euocant. Aduertas inſuper refrigerationem, quæ primò febribus adhibetur, à cibis & præſidijs uim frigidam habentibus ſuppeditari. Quæ uerò ſecundario atque per accidens fit lauacro aquæ calidæ temperatæq;, idq; potiſsimum in hac febre, quæ ſpiritus maximè inuadit, eosq; in halitum uaporoſum uertit. Quamobrem niſi diſcutiatur, immoderatam toti corpori flammam ſuſcitabit, quo fiet, ut in putridam degeneret ephemera. Balneum itaque huiuſmodi omnibus utiliter curationis ergò præcipietur. Aquã item oportet tantam nanciſci differentiam, quantam cauſſæ febrim efficientes obtinuerint. Accidit interdum diaria à

cutis ſtipatione, tum ob frigus, tum ob balneum prætermiſſum, tum ob lauacrum aquarum uim aſtrictoriam habentium, quales aluminoſæ, aut denique propter corporis totius ſqualorem, qui à calore aëris immodico prouenit. Atque in totum calidiores, ſiccioresq; natura corripit ephemera.

Curatio ſpeciatim diariarum. CAP. VII.

QVi igitur denſatione cutis febricitant, poſt acceſsionis declinationem dulcis aquæ temperatæq; lauacro committentur: frictiones item cum oleo dulci tepido mediocres leneſq; utiliſsimæ ſunt. Nec ſunt bis terq; lauandi, quoniam eos tantum ſic curabat Galenus, quibus balnea conſueta eſſent. Quinetiam perfuſio aquæ frigidæ à lotione iterata (ut ego quidem ſentio) incõmoda erit, obſtruentur etenim atque ſtipabuntur cutis meatus. Eſt uerò quando recluſi immoderatius fuerint, ægerq; immodico calefactus non inutilis futura. Porrò à balneo alimentum dabimus, ſi quidem ægri temperatura calidior, ac ſiccior fuerit, anniq; tempus calidius, refrigerans ſimul ac humectans, cuiuſmodi ptiſana, quæ omnia excrementa generoſè promouet, ac depellit: deinde ab huius concoctione piſces ſaxatiles, pariter & perdicum carnes offeremus, & id genus alia: quòd ſi aliam haberet acceſsionem, ſuperiora reiteranda ſunt, taliſq; uictus ratio.

Qui à uigilia, triſtitia, atque ira, diaria corripiuntur. CAP. VIII.

QVi ob uigilias, triſtitiam, iam febricitant, etſi curationem eandem ferè expetant, tamen quæ ab ira proficiſcitur febris, maiori refrigeratione indigebunt, quàm quæ à uigilia, aut mœſtitia, quarum equidem nulla frictiones deſyderat: ſolo balneo mediocri contentæ. Ad hæc quas uigiliæ, ac triſtitia accendunt, magis humectabimus, ſomnumq;

ſomnumq́ diuturniorem præcipiemus, modisq́ omnibus laborantes exhilarabimus.

A' ſolis deuſtione. CAP. IX.

QVæ à ſolis immodica deuſtione excitatur, refrigerationem poſtulat, quæ fiet, ſi diutius in aquæ temperatæ lauacro immoretur æger, ſimul ac fricti one modica cum oleis refrigerantibus, cuiuſmodi eſt quod ex uiola purpurea paratur, cuius perfuſio ſummè utilis erit.

Ab algore. CAP. X.

SI quis ab algore diaria correptus ſit, is pariter lotione calida utetur. Atqui aër balnei, quàm ipſum lauacrum, commodior eſt. Caput item roſaceo calefacto perfundendum, nam cæteris frigido rigamus. Cibi erunt temperati, aut aliquatenus calidi, ut ſunt turtures; mulſa quoque maxime idonea. Verum (ut ſummatim dicam) lauacrum diarijs omnibus, præter eas quæ à deſtillatione frigida oriuntur, & quæ ex inguinum tumoribus, conuenientiſsimum. At ſi ab æſtu deſtillationes ueniant, lauandos iubet Galenus, ea tantum ratione quòd putarit ad concoctionem tenuiorum ſuccorum balneum ſufficere, quippe craſsiores per uniuerſum corpus diffundit. Quamobrem ante coctionem abſolutam lauandi non ſunt. Erit autem balneum dulcis, atque temperatæ aquæ: uini autem exhibitio communem in cunctis ephemeris intentionem habet: uini inquam aquoſi, albi, tenuis & odoris: præcipuè ſi ægrotantes, per ſanitatem uino bibendo inſueuerunt, bibendum id erit: nam & concoctionem adiuuat, prohibetq́ ciborum in uentriculo fluctuationem, flatus diſcutit, urinam atq́ ſudores prouocat, animam exhilarat. At potiſsimum ijs qui uigilijs, curis & triſtitia macerantur, liberalius utiliſsimè bibitur. Qui uerò ira excanduerunt, affectu mitigato tutò potabũt, alioqui futurum noxium.

A fatigatione. CAP. XI.

QVæ à fatigatione contracta eſt febris, ratione uictus refrigerante tantum curabitur: alimentorum uerò tantum ingerent laborantes, quantum conficere poſsint, ac ſuperare: ſolet etenim immodice cibatis nauſea ſuperuenire.

Ab inedia. CAP. XII.

PORrò ſi ab inedia febris contigerit, edulia probi ſucci, omninoq; concoctioni parata dabuntur, quæ tum refrigerent, tum humectent. Quamobrem ſi in acceſsionis initio cibentur, febrem arcebis.

Quæ ab obſtructione. CAP. XIII.

CVratio ephemerarum plurium dierum quæ ab obſtructione proueniunt, primis tribus diebus ſola frictione perficitur, cum ſeminum peponum farina: hordei, milij, fabę, erui: utiliter quoque aſſumetur oxymel ex aqua iridis aut adianti. At ſi talibus non ceſſerit, tertiumq; prætergrediatur diem, iam tibi erit coniectandum, an plenitudo adſit: quæ agitata prædicta frictione ægro incommodum adferre ualeat: quippe ab huiuſmodi remedio maior fit meatuum obſtructio, quàm apertio. Quamobrem rationem curandi mediam inter diarias, ac putridas cogitabis, idq; accidet, ſi plenitudinis notæ miſsionem ſanguinis, aut alui deiectionem indicarint: quæ prudenter à te conſyderabuntur experimento. Quandoquidem ſola diſciplina citra experimentum explorare minime poſſes, in ſingulis indiuiduis, quid, in quali, ac quanto ſit faciendum. Neque ſolis uniuerſalibus theorematum ſcopis fidendum: quippe experientia, principia quæq; particularia indiuiduorum ſuppeditat, quæ literis ad unguem explicari non poſſumus. Quare quo minus medicinam exacte calleamus, in cauſa erit id

erit id scilicet,quòd experimento magis quàm ratione stabilitur:unde Hippocrati doctissimè proditum,uitam breuem,artem uerò longam esse.Nos itaque huic arti operam minime tam diligentem nauasse non ignoramus,ut sim in ea opinione,in qua sunt non pauci nostri temporis medici, qui putant se ad summum peruenisse,quorum ego uanam gloriam non possum non demirari:quippe solos Auenzoari filios magistros medendi existimo, quorum uitam longissimam faciat deus opt.max.

Temperamenta calida,ac sicca. CAP. XIIII.

IN corporibus temperaturæ calidioris,ac siccioris sępenumero ab astrictione, siccitateq́ accenduntur diariæ: quinetiam cruditatibus succedunt, in quibus alimenta in nidorosam & fumidam qualitatem uitiantur: febricitant etiam alij & ex ijs quos alui profluuium à cruditatibus male habet,quod à ciborum corruptione & rosione fieri solet. Ex astrictione quoque alui huiusmodi temperamenta in febres promptè incidunt: astringitur uerò aluus caliditate,ac siccitate,atque facultatis propulsoriæ imbecillitate. Est autem eorum,quibus fluit aluus,sanationis cura sic habenda:ab humoris quidem deiectione & uacuatione,si quidem alui profusio cessauerit,in balneum ducendi ægrotantes:atque uictus offerendus uentriculum corroborans in febris remissione.Deinde firmando uentriculo, & quæ circa eum sunt partibus,unguenta cerataq́ admouere: quòd si alui fluor uiget,à lauacro abstinebis,quæ est Galeni sententia:quanquàm recentiores medici uehementia alui profluuia balneo curare se prædicant,auersionem ad contraria esse putantes,quam rationem medendi uitabimus,fit enim ex accidenti, & propè dixerim per similia:cibandi autem sunt fluente etiamdum aluo,nec balneo committendi.Consuletur item uentri,si modò uacuatio amplius non duret, peniculo oleo absynthino,aut rosaceo imbuto. At si mastichem tritam oleo rosaceo miscueris,remedium præstantius

tius efficies. Præterea (ut paucis dicam) partibus quæ ex numero ſunt principum, energia frigida nuſquam applicabis. Si autem uentriculus deuratur, commiſcendus erit præſcriptis oleis ſummitatum uitis ſuccus, item cydoniorum malorum ſuccus, quinetiam ex balauſtijs, hypociſtide, & palmularum carne medicamenta confecta adijciemus, quibus ſi ceram addideris, ceratum efficies. At ſunt medici non pauciſsimi rogantes, cur à Galeno uentri intemperie calidiore affecto maſtiche, cum oleo roſaceo miſceatur; quibus hoc reſponſum uolumus, aliam eſſe indicationem ab intemperatura ſola, aliam uerò ab intemperie partis: quę poſtrema id docet tantum firmandæ particulæ gratia, idonea eſſe quæ una cum aſtrictione, amara & odora ſint: in quo primi, qui experimenta ſectabantur, lapſi ſunt, qui intemperaturæ nullam habebant ſolicitudinem: quod Galenus eos feciſſe teſtatur in quodam, qui calida, ſiccaq; intemperie uentriculum affectum habebat. Magno itaque ſtudio conſyderabimus, an intemperatura adſit tam uehemens, ut ab ea periculum immineat: quandoque etenim firmantibus uentrem tantum utemur, quandoque uerò refrigerantia commiſcebimus adſtrictionis non expertia, quo in numero multa ſunt. Cibandi inſuper fluente aluo his ſunt, quæ adſtringunt, & id pro uacuationis menſura: quippe ſi exigua deijciat, panem tantum biſcoctum uocitatum cum ſaccharo præparatum, aut cydoniorum malorum ſucco offeres. Sin autem aluus copioſè fluat, ualidiora dabis, cuiuſmodi eſt biſcoctus panis ex hordeo cum ſucco cotoneorum apparatus. Quinetiam commodiſsimè malorum punicorum ſuccum, pyrorum uel malorum Galenus exhiberi prodidit. Quòd ſi appetentia careant, medicamento quod ex cotoneorum ſucco, uel eorum fit carne, utitor, cui & maſtiche admixta ſit. Tradita uerò in libris De ſanitate tuenda à Galeno medicamenti id genus compoſitio. At nos quod piper, aliaq; medicamenta calidiora continet, minime tunc probauerimus, maximeq; in noſtra regione, tempore calidiori,

diori,& temperamento. Si autem aluus penitus cohibeatur,nihilq; reddat,conſyderandum in qua parte cibus conſiſtat, & num in uentriculo, aut inteſtinis: Quippe ſi in uentriculo,& ſupernis partibus, Galenus iubet,quod diatrion pipereon appellatur, dari,ſed non medicamẽtoſum illud,uerum quod eſt ſimpliciſsimum,& ab eodem in libris De ſanitate tuenda traditum. Eſt præterea ijs utiliſsimum, quibus cibi in uentriculo aceſcunt:nempe ab eo abſtinere oportet illos, qui uentriculum calidiorem obtinẽt,& cibos, propter caliditatem auerſantur. Dictum uerò à Galeno, & à nobis in ſectione ægritudinum repetitum,partem quamlibet æquè intemperatam reddi,atque imbecillam à calore, quàm ab algore: uerum quæ à frigore fiunt,eſſentialiter erunt,quæ à calore,ex accidenti:quemadmodum ſolis caliditas uehemens ignem extinguit, & fornacis, aut camini flamma ualidior lucernæ lumen: quod eadem ratione coniectare poſſumus de uentriculi intemperie, ac nauſea,quæ à caliditate efficiuntur. At Galenus conſilium curationis ad frigiditatem tantum direxit,quæ ex accidenti uentriculo contingit,quam indicationem à ſua regione ſumpſiſſe, non eſt dubium. Iam uerò quæ medicamento ex cotoneis miſcentur, utiliter ſunt agalochus, maſtiche, & chariophili, quod ita temperabitur, ut cotoneorum frigiditas ſemper præpolleat:quòd ſi citra cotonea medicamen parare uelis, habes materiam eorum,quæ refrigerant,& aſtringunt,uberiorem.Omnino autem prouidebit medicus huic,quod magis urget. Quinetiam pluris,minorisq; ratione præſidia, tum frigida,tum calida augebimus,ac minuemus, ſi morbus expoſtulet.Galenus horum uentriculum aqua calida perfundi iubet,ut relaxatio fiat:quam ut timidè,ac prudenter facias,ſuadeo,ne uenter afficiatur,cui penitus talis perfuſio aduerſatur. Nec te moueat indicatio,quę à morbo eſt, demonſtrans id genus remedij commodum fore: maius nanque periculum à natura particulæ non animaduerſa inſtat;quamobrem quæ ſupradicta ſunt, ſemper commixta

accipiemus, aut in totum idonea adferemus. Porrò ſi ex uentriculo nutrimentum deſcenderit, tunc perfuſio illa peroptima eſt: atque hic quoque ſpectandum, ne ad partes irrigatas alimẽta incocta trahantur: proderit item leuis infuſio per inferiora, utique ſi roſio aut flatus non adſint, ex oleo, melle, & exiguo ſale: ſin uerò ſimul urgeat roſio, adipem anſerinam, ac gallinaceam liquabimus: ſin autem flatus diſcrucient, oleo incoquemus rutam: ſemina item quæ & diſcutiant, & comprimant, qualia ſunt apij, cumini, marathriq́, aliaq́ id genus: quando uerò flatus ac nauſea ſimul afficiunt, interni caloris imbecillitatem arguunt: quare nec refrigeratione, nec calore ſeorſum utendum: ſed ſimul temperabimus, commiſcebimusq́. Hæc item febris quandoque ad tertium peruenit diem, uerum nihil uerendum, modò ea qua diximus ratione, curentur, & poſt euacuationem lauacro committãtur. Iam uerò in quibus ructus acidi fiunt, & nauſea laborant, ephemera talis minimè excitatur, quippe fumidus uapor ab illis non aſcendit, ſed potius halitus frigidi. Prætereà frigidi, humidiq́ natura pariter frigidi, ac ſicci raro ab huiuſmodi febre capiuntur: calidi uerò, atque ſicci promptiſsimè, atque maximè ob inediam, & exercitationes immodicas, ac balneum prætermiſſum.

Febres ex inguinum tumoribus. CAP. XV.

QVæ uerò ex bubonibus fiunt, ſanantur tumore curato: qui ſi à fluxione oriatur, purgatione opus eſt: ſi à ſanguinis copia exuberante, ſectio uenæ conuenit. Hoc etenim auxilio præcauebimus, ne in deteriores ægritudines tranſitus fiat. Galenus quidem lauandos docuit, quod eſſe faciendum in declinatione cenſeo: uinum quoque uitabunt, ac ratione uictus tenui utentur, quouſq́ liberentur. Hactenus de ephemeris, quas ut prolixius à medicis tractatas, compendioſè tradidi: habes enim à Galeno multis in locis, & à noſtratibus definitas copioſiſsimè.

De ſyno

De ſynochis febribus. CAP. XVI.

SEquitur ut de febribus acutis (quas ſynochos Græci appellant, nos continentes) diſſeramus, quas ex copioſo, ac calenti ſanguine fieri docuimus in ſectione ægritudinum: aliquando quidem nondum putreſcente, interdum uerò iam putrido. Tres autem ſunt omnino differentiæ, aut enim eadem febris uehementia permanet ab initio ad finẽ, quod accidit, quoniam par eſt ei, quod accenditur, tranſpiratio: aut addendo exiguum quiddam inualeſcit ſemper, nempe minor eſt uacuatio, eò quòd adijcitur: aut denique aufertur ſemper, atq; minuitur: idq; quando quidem quòd uacuatur, ac tranſpirat, altero copioſius eſt. Curationis itaque meta febris huius quæ à plenitudine uaſorum contingit, erit ſanguinem detrahere, maximè ubi nondum ſit putridus. Quàm ſanè euacuationem iubet Galenus uſque ad animi defectum ducere, modò uirium robur adſit: primùm nanque celerrime ex animi deliquio refrigerantur: poſtmodum neceſſariò alui deiectio ſuperuenit: quinetiam interdũ bilioſa uomitio. Huic uerò opinioni ne omnino accedamus, facit naturæ imitatio, medico ſemper uſurpanda. At prudens natura nuſquam profluuio ſanguinis ad animi defectum morbos probè indicauit: quin potius, ſi ita contigerit, mali, atque exitialis indicij nota eſt, facultate ſcilicet propulſoria immodicè ualida, & quod bonum quoq; erat uacuante. Ad hæc non ob aliud quæritur ſanguinis miſsio, quàm ut qui redundat in corpore ſanguis, minuatur, ſimul ac naturæ modus conueniens, ac mẽſura cuſtodiatur: quod equidem citra ſanguinis iacturam, cui ſpiritus uitalis admiſcetur, nequaquam fiet: Prætereà id præſidium ſolam refrigerationem corporis præſtare teſtatur Galenus: quę utique ex accidenti facta inſigniter periculoſa eſt. Quamobrẽ externi caloris exiguum quiddam relinquere tutius cenſemus, quàm natiuum, uitalemq; minorem facere: fieri item non poteſt, quin in tali corpore, quale propoſuimus, continenti febre correpto, non adſit putredinis alicuius alterius

ſucci ſignificatio,ac præparatio,quæ maior euadet uiribus, quæ concoquere,ac uincere debent, imbecillioribus effectis,calore interno uidelicet imminuto,atque propterea gubernare non ualente,erratumq; quod acciderit,reſarcire non potente. At notæ quæ febrem continentem citra putredinem exortam indicant, inconſtantes ſunt, nec ſolidæ. Igitur cum & ex urina,& pulſibus putredinem ſubeſſe ſpectabis, caue,ne ad animi deliquium detrahatur ſanguis,quandoquidem uel à ſectione uenæ ad ſeptimum diem permanebit putredo,quam euincere haudquaquã poterit uirtus tãta uacuatione facta imbecillima. Galenus non eſſe concoctionem expectandam cenſet, quando in putrido accenditur ſanguine, ſed ſtatim à principio uenam diſſecare,poſtmodum ad aquæ frigidæ potionem mentem adhibet,docetq; diligenter eſſe diſcendum indicationes, quæ uel arceant,uel iubeant propinare. In primis itaque conſyderandum,num in humoribus concoctionis notas uideris,an tumor aliquis in principe particula ex abſceſſuum genere conſiſtat:an item uentriculum habeat is, qui ægrotat, aut frigidum,aut imbecillum. Quinetiam ſi frigidæ aſſuetus æger ſit, quippe cuncta hæc uel audacter exhibendam,uel trepidè indicabunt. Cæterum intemperies, quæ quo ab huius potione uſuuenit aduerſatur omnino ei, quod cauſam febris adimere debet: quippe humorum cruditatem facit, omnemq; concoctionem ipſorum tardat:febris autem nullo pacto abibit, niſi quæ eam fouet, cauſa prius adimatur. Nonnullis inſuper ex intempeſtiua, immoderataq; gelidæ potione uentriculus, aliæq; particulæ principes adeò refrigeratæ ſunt, ut nuſquam robur priſtinum recolligere potuerint. Atque ex iis alij ſpirandi difficultate,alij tremore,& conuulſione correpti,ſimul ac toto neruoſo genere affecti ſunt, Galenus uarias ſuper hac re hiſtorias ſcripto tradidit:ueluti illam qua multis gulam adeò eſſe refrigeratam docuit,ut poſtea deglutire uix poſſent:& aliam eorum, quorum uenter concoquendi munus inde infirmum habuit.

buit. Quòd ſi concoctos ſuccos ex notis quibuſdam deprehendas, intrepidè dabis. Habes etenim unicum ſcopum, ad quem conſilium dirigas, ſolius ſcilicet intemperaturæ calidæ curationem, quæ nullo præſidio commodius fiet, quàm egelidæ aquæ potione. Quippe natura adiuta, ad quod inutile eſt, foras propellendum, ualidior fit, attenuato uidelicet concoctione humore.

Quæ putreſcentibus humoribus febres accenduntur.
CAP. XVII.

FEbrium, quæ ab intemperatura cum humoribus accenduntur, ſanatio, duas indicationes obtinet: alteram quæ intemperiem alterat: alteram quæ ſuccos noxios euacuat. Quibus ſi uelis, tertia quoque accedet: quæ cauſarum putredinem adiuuantium, ablatione conſtat. Auferentur autem tum ſuperuacanei expulſione, tum meatuum apertione. Porrò obſtructio meatuum uel à frigidis, uel ſiccantibus, uel adſtringentibus, uel à ſuccis craſsis, atque lentis efficitur, interdum uerò à prædictis omnibus. ſingula horum contrario ſuo curabuntur. Atqui ſæpenumero accidit ſymptomata huiuſmodi indicationi, quæ à febre ſumitur, repugnare, ob idq; curationem minus probè perfici. Si autem eſſentia ipſius febris, cauſæq; ſibi aduerſentur, medentis conſilium eſſe oportet (modo febris atque ſymptomata non urgeant) cauſam auferre, nimirum ea ablata, febris quoque depelletur, ut facilè tibi patebit in his febribus, quæ à frigidis ſuccis oriuntur: quales ſunt melancholicę, atque pituitoſæ. Quòd ſi febris ualidior cauſa extiterit, illi ſtatim (hac tamen non neglecta) occurrendum cenſeo. Nos itaque in primis de febribus non habentibus ſymptomata, quæ ipſarum ſanationi obſint, ſermonem faciemus: poſtmodum de cæteris diſſeremus. Diuerſæ nanque ſunt indicationes ſanationis morborum, ab his quæ ſymptomatis obſiſtere demonſtrant: pelluntur etenim morbi, cauſſas adimendo: at tolluntur ſymptomata, uel iſs quæ nonnun-

quam ipſa adaugent,cuiuſmodi eſt curatio dolorum maximorum per opium.Præterea & quatenus medicamenta, & quatenus alimenta,ea quæ facultatem refrigerandi pariter, & humectandi habent,ad febrium omnium medicationem intus aſſumuntur: atque id primis poteſtatibus præſtare conſtat. Quinetiam ambientem aërem artificio interdum frigidum,interdum calidum paramus.Atq; item in ægritudinibus quibuſdam terram mutare iubemus: quemadmodum tabe laborantem in Aethiopiam,Arabiamq; delegamus. Euacuationes in febribus detractione ſanguinis fiunt:atque purgatione medicamentorum, ſecundis uidelicet & tertijs facultatibus,atque etiam arcana proprietate. Aliquando inſuper uacuantur,tum lauacro,tum frictionibus:quippe uacuationes hic nullatenus adiuuat exercitatio.Atque occaſionem diligenter contemplabimur, utpote in hac arte eximie neceſſariam. Quamobrem Hippocrates ſcriptum reliquit occaſionem præcipitem eſſe, hoc eſt, agendorum in medicina tempus anguſtiſsimum, & propè momentaneum. Detrahemus autem in febre ſanguinem, ubi notæ exuberantis ſanguinis adfuerint,nec qualitate uitiati:uires denique perpendendę,quæ ut plurimum in principijs ualidiores ſunt:quamobrem ſtatim à principio,tum purgationem,tum uenæ ſectionem medicorum non pauci faciendam arbitrantur,& tantum non ultra ſeptimum diē. Quorum errorem noſter Galenus refellens, ac diſcutiens, uni uirium robori non dierum numero attentum eſſe medicum iubet:nec ſolùm ſexto ſeptimo'ue die, ſed etiam ſequentibus uel uigeſimo mittendum ſanguinem:modus, ac detractionis menſura à magnitudine morbi,à temperatura, ætate,anni tempore,conſuetudine,& ſummatim ab tota uictus ratione,& id genus alijs indicationibus. At uirium robur,atque imbecillitas temperamentum probum,atque uitioſum conſequuntur,quare uno nominato alterum intellexiſſe oportet. Euacuationes inſuper quæ obſtructionum aperti one proueniunt, incidentibus, attenuantibus,

atque

atque ſuccos concoquentibus indigent medicamentis,quæ uniuerſa quod ſarciri poteſt, corrigunt, quodq; caſtigationem non admittit foras expellunt:quæ quidem intentio in omnibus febribus, maximè in illis, quæ deurentes non ſunt,debetur. Nec prætermittas hunc ſcopum in cunctis morbi temporibus,quandoquidem ſucci putridi aliter in melius reuocari non poſſunt, quàm quod alienum eſt uacuando,quod uerò correctionem admittit inſtaurando,quæ communis eſt omnibus conſyderatio, qui putreſcentibus ſuccis occurrere ſtudent. Ad hæc lotium citantia non omittemus:oportet enim aſsiduum eorum uſum eſſe:uerũ quis fortè tutò non dari credat,quoniã talium natura calida,ac ſicca ſit,unde febris uehemẽtia adaugeri ualeat, qualia ſunt ſemina aniſi, petroſelini,apij,fœniculi. Quare temperabimus facultates horum primarias refrigerãtibus modice,& ui urinam ciente prædítis,in quo numero peponum atque cucumerum ſemina. Sunt uerò ex his temperata quędam, uel omnino exiguum calorem obtinentia,ut ſunt adianton, & cichorium:igitur ubi medicamina calefacientia componimus,eorum ſemper poteſtates hebetabimus. Quæ uerò fit per meatus urinales euacuatio, febribus commodiſsima & communiſsima utilitas:inſuper quæ à nuper dictis præſidijs expectatur,inciſio eſt,atque attenuatio. Non ignores autem ab ijſdem angorem,atque agitationem ſummam exciri,quinetiam uentrem,ſimul ac iecur uitiari,præcipuè in diuturnarum febrium fine. Quamobrem quæ principes partes confirmant,ſimul cum ijs incoquenda erunt, cuiuſmodi eſt maſtiche. Tria itaq; peragemus,incidemus,tenuabimus,ac roborabimus. Quòd ſi humores febrem efficientes,frigidam,ſiccamq; temperiem nanciſcuntur, à calidis, atque ſiccis abſtinebimus,ueluti quartana laboranti ſi quid eorum exhibeas,ſtatim quoque uel radicem dulcis radicis, uel ſaccharum ex uiola purpurea conflatum admiſcebis. Ad hæc oxymelis uitium uuæ paſſæ emendat: radit nanque alioquí,ac mordet neruoſum omne genus:& gulam,

uentriculum

uentriculum,atque aſperam arteriam.Porrò aqua cicerum in omnibus propè febribus commoda eſt. Quinetiam aqua ordei quæ refrigerat,humectat expurgat, detergit,abluit leuiter, iucundiſsima eſt,& febribus utiliſsima:interdũ autem os uentriculi afficit,propterea maſtichem commiſcebimus ſecundum pluris, minoriſq; rationem. Iam uerò medicamenta,quæ tum aluum deijciunt,tum calori febrili repugnant, ſummopere laudantur,id genus ſunt oxyphenicia, uiola purpurea,mel aërium, & huiuſmodi.A' myrobalanis cauebimus propter aſtrictionem, qua pollent,niſi coctione præcedente. Horum uerò conuenientem ordinem percenſebo:in primis igitur datur mel aërium, poſtmodum uiola purpurea,deinde oxyphenicia: ab his interiora cucumeris quem ſarracenicum appellant,tum caſia fiſtula, poſtremò myrobalani.Omnino inſuper in curandis febribus aſſumẽda ſunt,quæ penitus & à tota ſpecie (ut ſic dicam) putredini aduerſantur: qualia ſunt aromatum genera:quorum uſus,& quantitas parcior eſſe debet:& caliditas temperari cum ijs,quæ retro iam diximus. Sunt item nonnulla, quæ citra caliditatem id præſtant:ueluti ſuccus malorum punicorum, ſant ala rubta ac candida:quę tamen,niſi quid admiſtum repugnet, obſtructionem pariunt. Atqui refrigerantia,humectantiaq; præſidia pro caloris febrilis uehementia, ac paruitate differentiam uariam ſortiuntur. Horum nomenclaturam ordine ſic habeto:aquam hordei,primò: iulettum roſaceum,quod ex aqua roſacea, atque ſaccharo tantum componitur: at nos ut ſiccitatem roſaceæ cohibeamus, æquam ſimplicis aquæ portionem illi adijcimus,uel ſecundum maius & minus. Quæ uerò potiones confiunt (ſyropos uocant) ex herbarum ſuccis frigidarum, humidarumq; potentiores ſunt & alijs,in quorum numero cucurbita,pepo,cucumeres,præſtantiusq; auxilium ſuppeditant ſuccus ſingulorum,nullo adiecto ſaccharo. Quinetiam flauæ bili (ut in totũ dixerim) contrarius eſt ſarracenicus cucumis. Reſtat ut aliquid de purgatione febriũ attingamus:quippe

antea

antea uberiorem ſermonẽ fecimus ſuper hoc auxilio: purgabimus itaq; febre correptos tunc maximè, cùm ſuccos qualitate uitiatos exuberare ſpectabimus: atque id uirtute ualida indicante, quod nobis concoctiones demonſtrabunt: nanq; eo ipſo tempore natura ſuccorum uacuationes quoque aggreditur, quas ſummopere commendant doctiſsimi quiq; medici: in quo imitandam naturã accuratiſsimè præcipiunt: ignorare autem minime te oportet præcedente humorum coctione facilè omnem ipſorum craſsitudinem, ac lentorem diſcuti, ac propulſari: omnem denique obſtructionem tolli. Hic exoritur inter medicinæ profeſſores non ita facilis ſolutu quęſtio: Galenus etenim, & plerique omnes medici alij in ea ſunt hæreſi, ut non niſi præcedente ſuccorum concoctione purgationem adhibere neceſſum ſit, præterquàm in morbis, qui extremè acuti ſunt: quod ex dictis Hippocraticis colligere poſſumus: quandoquidẽ ubi ægritudo peracuta inuadit, tunc quoq; furiunt inſigniter ſucci, quos ad particularum principum aliquam (niſi ſtatim uacuentur ab initio) decumbere, & illam uitiare periculum eſt, tenuiſsimi etenim ſunt huiuſmodi humores, nullaq; ineſt: craſsitudo, nullusq; lentor, qui medicamenti purgationem remorari ualeat: uerum à purgatione incommodum unicum accidere ſolet, uidelicet febris incrementum: primis nanque qualitatibus talia id faciunt, quare admiſcenda frigida, atque humida ijs ſunt. Quòd ſi morbus non ita uehemẽs ſit, & acutus, concoctio expectanda eſt. Atque tibi obiter dicam, ægritudines patriæ Hippocratis acutas, apud nos eſſe peracutas: ille etenim ptiſana & aqua mulſa tantum in curatione acutorum utebatur. Hic uerò, & calidioribus regionibus, in principijs medicinas purgantes adhibebimus: quia ſepenumero in ore uentriculi ſucci uitiantur, ac corrumpuntur. Ad hæc in morbis, quos tum crudi, tum craſsi, tum lenti ſucci generarunt, concoctionem expectare utiliſsimum: quæ nimirum incidentibus & attenuantibus perficitur: alioqui pernicioſa foret purgatio.

Auicenna iubet in ægritudinibus à tenuioribus ſuccis genitis,cuiuſmodi eſt tertiana exquiſita,quæ ſeptem (in totum) circuitibus indicatur,concoctionem præcedere:quam hoc pacto diffinitam tradidit.Concoctio tenuium,eſt eorũ incraſſatio,craſſorum uerò extenuatio.Quippe cum facultas expultrix difficulter craſſa propellat:tenuiora quoque non ſine negocio uacuabit:exoluuntur enim,atq; diſsipantur. Verumenimuero facilius ſucci tenues expurgabuntur craſsis : unde nonnullis ſcriptum eſt medicis, ſe nuſquam medicamentum purgans exhibuiſſe, quin flaua bilis prior uacuaretur:leuiſsimam enim ſimul, ac tenuiſsimam eſſe,cæteros autem humores ſequi.Quod idem ſenſus tibi indicat,tenuiora ſcilicet promptius purgari craſsioribus. At naturæ opus non eſt, alioqui quod in morbis acutis primò uacuaretur, flaua eſſet bilis : fiunt huiuſmodi morbi ut plurimum à ſucco tenui, qui quanto ſubtilior, tanto à natura difficilius expellitur.Quamobrem ubi ægritudo peracuta erit,confeſtim purgatione utemur:in talibus enim tardare malum eſt,quandoquidem natura affecta non ualet poſtmodum concoctionem aggredi,quæ ſecuritatem omnino polliceatur.At Raſius in quartanarum,& pituitoſarum initijs purgabat,in quo patet à Galeni ſententia penitus diſceſsiſſe,qui in commentario ad Glauconem aliter omnino & contrarium ſentit, quippe ab talibus febribus nullum imminet periculum:nullaq; mala concoctio expectatur.Pituitoſa quidem non uſquequaq; ſecura eſt,ac ſalubris,quare purgabimus uel non exactè concocto ſucco. Prima igitur dierum hebdomada extenuantibus ſimul, ac incidentibus curationem molietur,quæ etſi calfaciant,exiguum erit ipſorum incommodum.Deinde medicinas purgantes adminiſtrabimus.Idem nos feciſſe tum in apoplecticis morbis, tum in cæteris frigidis, & exitialibus:quippe quæ extenuent,atque incidant, purgantibus admiſcemus. Hoc in negocio ſummopere commendamus potionẽ oxymelis, in qua incocta ſit radix iridis dulcis radicis, & apij ſemen:concoquit nanque & uacuationi paratum ſuccum

reddit,indeq; natura opem non pœnitendam ſentiet:poſtea rurſus ad incidentia conſilium diriges, deinde ad purgationem:promptior etenim ſuccorum fiet euacuatio, ſi probè concocti fuerint: præſtat itaque tali ratione curandi, tractare hominem,quàm naturæ ac morbo (ut non pauci faciunt) committere:quinetiam quartana laborantes, hoc modo ſanare conueniet,& eos, qui per ſanitatem purgari indigent,ſic præparare.Galenus laſsitudinem ſpontaneam curans,quę à febre parum abeſſet,cæteros omnes humores, à quibus generaretur, præter lentos, ac craſſos,purgabat: quod illi cum alijs medicis conuenit non eſſe purgandos. Non parum autem conſyderandas eſſe regiones, ignorare te nolim,quoniam ijs qui in noſtra degunt patria, craſſorum,uiſcidorumq; purgatio congruit,ſi tamen quæ nuper dicta ſunt,præceſſerint. Quod multo experimento compertum,exploratumq; tantum habebis: eſt nanq; maximi in hac re momenti.

Cibandi ratio in febricitantibus. CAP. XVII.

CIbari (ut ego quidem ſentio) febricitantes minimè oporteret, niſi poſt uigorem,ut facilius concoqueret ſuccos natura,quæ alimenti copia plerunq; grauatur:uerũ quoniam uires omnibus robuſtæ non ſunt, contemplari morbi naturam te oportet.Nanque ſi peracutus ſit,& æger uiribus ualeat, audentius id præcipies: indicatur enim ut plurimum ſeptimo die is morbus. At ægro debili nequaquam id faciendum. Quòd ſi mediocris ſit uirtus, ægerq; ætate floreat,p tiſana contentus eris:& panis ex aqua calenti abluti uncijs duabus;quæ uictus ratio à conſuetudine noſtræ regionis,tenuiſsima iudicatur. Antiquorum autem uictus tenuior erat,ſola nanq; ptiſana ſeptem diebus ægrotantem alebant;cui ſi quid adijcere uberius uellẽt, ad mulſam tranſibant. At noſtrates id non tolerant,tum propter conſuetudinem,tum aëris ambientis temperaturam.Quinetiam illorum corpora minus tranſpirant; noſtratia uerò

uberius. Illi autem uinum liberaliter bibunt: ſimul ac ſuillis ueſcuntur carnibus, quæ ualentiſsimè nutriunt. Summatim quoque conſuetudini aliquid eſſe dandum cenſeo. Nempe qui bis ter'ue cibum in die aſſumere conſueuerunt, prædictum uiuendi modum non tolerabunt, præcipuè calidiores naturæ, & quibus multa ſit tranſpiratio. Si item coniectes ægritudinem à uigore longius abeſſe, atque ægrum uiribus eſſe imbecillioribus, à principio cibum offeres copioſius: cum uerò in uigore conſtiterit, tunc ſubtrahendus: atqui uirtutis robur à probo temperamento intelligitur. Porrò calidiores, ſiccioresq; naturæ non ita facilè inediam ferunt: maxime in ęgritudinibus ſibi cognatis, & tempore calidiori. Quòd ſi diutius in inedia contineantur, à febribus debilibus ad uehementes perducentur: aliquando item ad ecticas: fames nanque ſuccos & uberiores gignit, & factos adurit. Cibandi uerò tempus in primæ acceſsionis remiſſione, & ante ſecundæ initium, in quo natura concoctionem ſuccorum peragit. Ad hæc uires fouendę, ne ſymptoma periculoſum contingat, cuiuſmodi eſt ſyncope, ubi tandem alendus ſit æger. Quamobrem in principijs quoq; acceſsionum nutriēdi ſunt, qui ſyncopes periculum uitare cupiunt, quemadmodum fecit Galenus in eo, cui diatriton colentes medici trium dierum inediam præſcripſerant. Interdum etiam in media acceſsione dare cibum cogimur. Prætereà in continuis conſyderata prius conſuetudine, nutriendi tempus eligemus, in quo remiſsior eſt febris. Hora autem diei magis idonea erit ueſpera, ac matutina. Ad hæc uina odora, leuia, oligophora pituitoſæ, ac melancholicæ febri accommodatiſsima: ijs autem qui uehementibus atq; deurentibus corripiuntur, uino penitus interdicendum.

De balneo in febricitantibus. CAP. XVIII.

LAuacrum declinātibus febribus tempeſtiuè ſubibunt: quoniam quod tenue eſt ſuccorum, expurgat. Qui uerò in principijs balneo committūtur, rigoribus affic iuntur, in ijsq;

in ijsq; ſucci per uniuerſum corpus liquantur: ſimul ac obſtructiones maximè generantur, interdumq; in principem partem abſceſſus decumbit. Caloris item atque ſiccitatis incrementum facit, ſiue ſit in aqua calida, ſiue in aëre balnei calido perſiſtat æger. Caueant inſuper à frigida lotione: quippe ea incrudeſcunt ſucci.

Galeni curatio febrium à ſuccis lentis ortarum.
CAP. XIX.

GAlenus noſter febres à ſuccis uiſcidis ortas ſola frictione ſanat: quod te contemplari accuratè uolo: quid enim oberit, quo minus ſucci in totum corpus diffundãtur, tali frictione? Quinetiam ille ipſe libro de ſanitate tuenda, laſsitudinem hominis, cuius corpus plethoria laboret, & ſuccis uiſcidis ſit refertum, curans, prohibet, ne exerceatur, ullo'ue motu ualido agitetur, ne'ue fricetur, ne'ue lauetur: frictio etenim quæ ſub cute ſunt, & inter muſculos, uacuat: at quæ in uenis continentur, purgatione tantum educuntur. Quòd ſi per ſanitatem quis frictionem adhibeat, ita uehementem, quàm præcepit Galenus, abſceſſus ſanè atque ulcera neceſſariò per ſumma cutis erumperent.

FINIS.